DE

CHORO ET CARMINE LYRICO

APUD ARISTOPHANEM

PARISIIS. — E TYPIS C. LAHURE ET SOCIORUM
Viis dictis de Fleurus, 9, et de l'Ouest, 21

DE

CHORO ET CARMINE LYRICO

APUD ARISTOPHANEM

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

François Léopold

F. L. MARCOU

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS
IN EADEM FACULTATE JAM LICENTIATUS

PARISIIS

APUD A. DURAND BIBLIOPOLAM

VIA DICTA DES GRÈS, 7

1859

MEMORIÆ PATRIS

L. R. MARCOU

OLIM IN REGIO LUDOVICI MAGNI COLLEGIO

PROFESSORIS

F. L. M.

DE

CHORO ET CARMINE LYRICO

APUD ARISTOPHANEM

CAPUT PRIMUM.

I. De carminibus lyricis apud Athenienses. — II. De comœdiâ vetere apud Aristophanem.

I.

Græciæ angulus, mari hinc circumfluus, illinc montium perfusus umbris, frugibus ferax, uvis, melle, oleoque fluens, tenui cœlo, amico sole, amicis Diis, uberrimum quem ulla unquam vidit ætas bonorum malorumque eadem, intra centum fere annos, proventum tulit. Inconstantissimus sibi atque instabilis Atheniensium populus, Græciæ tutela et decus suique simul pernicies fuit, prodigus sanguinis sui, opum alienarum avidus, belli barbarici victor, suburbano bello victus, optimorum civium insectator, pessimorum aut præda aut pestis, Aristidis Alcibiadisque domicilium. Hic cives ob justitiam in exsilium, ob virtutem ad cicutam pulsi[1], post

1. Ἅπασι γάρ εἰσι χαλεποί [οἱ Ἀθηναῖοι]· διὸ καὶ εἵλοντο αὐτῶν οἱ ἔνδοξοι ἔξω τῆς πόλεως καταβιοῦν.... Theopomp., *Philippic.*, XIII, apud Athenæum, XII, 8.

DE

CHORO ET CARMINE LYRICO

APUD ARISTOPHANEM

canistros, sua lauros, sua tripodas ferentibus, varia varieque appellata; sua Minervam celebrantibus, Adonin sua dolentibus; sua prægnantibus, nutricibus sua.

Ex illa carminum copia et diversitate plurima ad occasionem singularum rerum componebantur; alia prisca et stabilia tradebantur. Cantus enim tradebant inter se, quasi insignia, cujusque conditionis homines; in urbe telæ textores, lanifici, pistrinarii, balneatores, aquarii[1]; in mari remiges, navicularii; ruri sui erant cantus pastoribus, aratoribus, messoribus, operariis, pistoribus servis, nomina a bovibus alii, alii ab aristarum fasciculis, alii a molis ducentes. Mendica etiam plebecula *florem* Athenis canebat, ut apud Rhodienses *hirundinem* pueri.

Bene provida Musa omnia caverat neque quemquam imparatum hianti ore frustrabatur, sive quem Deorum rogabat, aut laudabat, sive quid faciebat, volebat, cogitabat. Preces suppetebat quibus pestem arceret, quibus valetudinem, Hygiææ nomine Deam factam[2], oraret; prosodia, pompam ducenti; cyclica cantica, saltationem ducenti; mœsto, næmias; exsequias agenti, funerea carmina; amanti, amatoria; bibenti, παροίνια; jocanti, παίγνια; lascivienti, ἰθυφαλλικά; παιδικὰ etiam, ne quid nefarii etiam deesset quod caneret nefaria meditatus[3].

Sic apud Græcos Musa erat, quodcumque agebas, quodcumque movebaris. Tota Græcia universus quasi chorus erat, cui multa gens poetarum omnem carminum diversitatem sufficiebat. Plurimi cantica illa, conditionis cujusque aut artis insignia, scribenda susceperant; nec non Pindarus nænias singulas singulorum in funera divitum civium composuit. Carminibus accedebant saltatio et tibia, non vero his illa; neque enim sine poetarum et philosophorum[4] questi-

1. *Ran.*, 1297. V. Magnin, *Origin. du th. mod.*

2. V. dithyramb. Licymnii et Ariphronis de Hygiæa fragmenta (Bergk, *Poet. lyric.* 840, 841). — 3. V. Bergk, passim. — 4. V. Pratinas, fragm. apud Bergk; Plato, *Leg*, III.

bus, arte in pejus ruente, separata illa ab his fuerunt, et instituta auletarum in publicis ludis certamina. Instructos choros carmina docere magnæ operæ erat magnique apparatus; suos ipse informabat Pindarus, quos Syracusas, Cyrenen mitteret, carmina cum gestu et fere scenica actione non canentes magis quam repræsentantes : tanta erat lyrici carminis dignitas atque amplitudo! Non Dii, non civitas publice, non homines privatim sine lyra celebrabantur. Canere civile erat, ad condenda carmina lyra conferre ingenium pars publici muneris. Suos urbs quæque dithyramborum auctores habebat, quorum nonnulli in Prytaneo alebantur [1]. A canendo pauci abstinebant, ne philosophi quidem longe alia meditantes; neque in ultimis lyricorum vatum fuit, antequam in tractanda republica emineret, Socratis discipulus Critias, et inter primos exstat virtutis lyricus laudator Aristoteles. Postremo in Græcia illa semper feriata feriæ nunquam carminibus carebant, neque, quos adornabant tribus, choris. Lyra in scenicis fabulis excellebat; de lyrici carminis præmio Harmodii aut Thrasybuli laude concertabatur. Unum e choro esse, laus erat; chorum ducere, laus summa; chorum instruere, æmulatio luxus atque dignitatis.

Constat igitur quemadmodum lyrica poesis undique exundans, redundaverit undique in vitam Græcorum publicam privatamque : quam imitandam et repræsentandam vitam cum sibi vindicaverit comœdia, non mirum est quod omne carminis lyrici genus in se assumpserit, nata præsertim, si non ex illo lyræ fere principe dithyrambo, ex ejus saltem cognato et germano comessantium cantu. Certo enim lyricum comicumque genus inter se apud Græcos consortio congruebant, quæ ambo amplissimam rerum copiam, ne epico quidem genere excepto, imo totam omnium comprehenderent. Lyræ nihil alienum, nihil comœdiæ : lyræ comœdia subiit consors, imo ex parte hæres. Nam, quanquam

1. *Nub.*, 339.

per se semper apud Græcos, ut vidimus, lyricum genus viguit, præcipuam tamen canendi venam scenicum in se videtur duxisse, et cum, ante inventum theatrum, maxima omnium abundaret lyricorum vatum copia, invento, scenicorum major facta est, convertentibus se ad horum celebratissimum lyræque conjunctissimum opus ingeniis; ita ut veteris comœdiæ scriptores solum, ne tragicos per idem tempus numerem, plus quadraginta exstiterint[1]. Hujus autem quasi hæreditatis maxima pars in comœdiæ seu iambos seu choros confluxit : dum enim, exhausta epicæ Musæ vena, non nisi antiqua ῥαψῳδοὶ, stolidissimum, Platone judice, genus, recitarent, dum tragœdia fabulas e præteritis temporibus ducens non nisi vetera et grandia sonaret raroque præsentium rerum faceret periculum, comœdia lyræ societate adjuta nulli non rei se applicuit, sed tota quam incipientes diximus rerum varietate referta est, atque sua ubertate et quasi silva canendi complexa est omnia. Eamdem igitur conditionem quam ipsi Athenienses, quos pingendos susceperat, passa fuit : nam ut, fluente illo rerum omnium aut bonarum fructu aut malarum fece, abolitis victoriis, exstinctis viris, purgatis flagitiis, nihil desinenti sæculo seque recensenti, nisi e lyra orta carmina, supererat, sic farragine rerum præsentium, quam in iambos suos traxit Aristophanes, nobis partim sordente, partim caligante, lyricorum ejus carminum præcipua jucunditas etiamnunc et novitas florentissima viget.

II.

Vetus comœdia, e lyra nata in principio, lyram adolescens retinuit semper sociam, imo ducem fabulæ. Comœdia enim nullum forsan aliud Græcarum litterarum genus tui-

1. V. Dacier, præfat. ad Horatium, p. xxxvi.

tum est fidelius constantiusque priscum quem receperat morem et primam quam imbiberat nascens disciplinam, nedum lyram exueret et chorum jure civitatis suæ abalienaret : sed, dum tragœdia, novam secuta institutionem quæ per quintum sæculum gliscit et summam totius Græcorum vitæ atque humanitatis mutat, rudis infantiæ deserit vestigia, qua pergens via Euripides uno minus sapiens Socrate ab oraculo dictus est, comœdia a nulla originum suarum parte decessit. Primum enim, luxuriat vino, epulis, scortis, vocibus gestibusque indecoris, tota Dionysiaca κραιπάλῃ, toto illo κώμου frutice, ne, abolita jam e tragœdia chori dominatione, omnia Baccho, populo indignante, præripiantur. Nam ille per hos dies vere pius erat, qui temulentum temulentus Deum, qui bacchando Bacchum verebatur, ille impius qui, in tempore et loco desipiendi, sobrietate notandus fuisset; ille Deorum contemptor, reipublicæ eversor, novarum rerum novique Dei indagator atque auctor, quod Socrati lethiferum fuit mores alios instituenti et meliora præsumenti. Aristophanes autem, qui Sabazium, peregrinum illum Bacchum, nocturnasque in eo colendo pervigilationes vexabat[1], idem Dionysum, eo qui Dionyso cordi erat, cultu publice colebat, *neque de Diis philosophabatur*[2]. Omnia in tragœdia lubrica erant ne quis quem Deorum lædere videretur, omnia suspicacem Atheniensium religionem perstringebant, ab Euripide, promptis jam lapidibus, vix abstinentium : nec tamen tragœdi mœchos, gulosos, stolidos inducebant Deos[3]. Per comicos vero poetas in domicilio suo Bacchum a suis, a mystarum videlicet choro, irrideri et omnis sordium generis plausorem et auctorem effingi fas erat.

1. Cic. *de Leg.* II, 15.

2. Οὐδὲν σοφιζόμεσθα τοῖσι δαίμοσι.
Eurip., *Bacch.*, 200.

— Imo ebrius ipse, si Athenæo (X, 7) creditur, fabulas scribebat, ut Æschylus tragœdias, Alcæus μέλη (Id., ibid.).

3. Nunc compertum est *Alcesten* Euripideam esse satyricum drama.

Præterea, quæ Bacchus, eadem populus volebat, ita ut, tum religionis causa, tum conciliandi populi fabulis suis populum castigantibus, tum eorum imitationis, quos unice diligebat Aristophanes, veterum, hanc licentiam retinuerit quæ, quamdiu Athenæ sui compotes fuerunt, viguit, nec, nisi abolita prisca institutione, purgata est. Nam populus, non Baccho solum, sed et genio suo sacrificandi gratia, a theatro licitam Bacchanalium protervitatem exsulare non passus esset, et qui dithyrambum relegari a tragœdia reclamans sivit tamen, idem libens, Trygæi exemplo, decentiorem Theoriam renuntiasset senatui, sibi Oporam pellicem cum phallicis cantibus reservasset. Quippe Pericles, hanc petulantiam respuens et compescere aggressus, non plus triennio potuit. Multum enim populus apparatus, tumultus, ebrietatis reposcebat. Hinc in scena longi obsoniorum ordines, institutæ fornaculæ, crepitantes sartagines; hinc, pro fuso olim in Dionysiis sanguine, vini multa ubique vis[1], et ille rerum omnium in fabula finis, ille *Deus ex machina*, in quam omnia coeunt compotatio; hinc sacra a personis instituta, multa simul adducta scorta[2] et psaltriæ; multa ubique saltatio, rustica tripudiatio, proterva honestissimorum civium pudentiumque adolescentium, ut choris adnumerentur æmulantium, per hos dies inviolatorum, gesticulatio; hinc inusitatæ vestes aut mentitæ et ora portentosa[3]; Bacchus servum induens, Herculem servus; puellæ sues; Mnelisochus habitu femina; feminæ in barbatos mutatæ, luscinia in scortum, auletes in corvum[4]; equitans in scarabæo Trygæus, reptans in colliquiis Philocleon, Socrates Euripidesque de canistro pendentes, judicati canes; circa Cleonem, Populum, Philocleonem rixæ, pugnæ sacerdotum circa exta, pelles, adipem; Pisthetærus et Evelpides, verubus contra aves

1. Ex oculis spectantium tollitur mactanda ovis in *Pace*, 1019. — 2. Cum mos primum fuerit choragis scorta in scena exhibere, ea in fabulas induxerunt poetæ. — 3. *Ach.*, 95. — 4. *Av.*, 861.

crispatis, coquina suppellectile galeatos et vallatos; Phidippides patrem, Lysistrata sagittarios, Bellum Tumultum, Pisthetærus omnes ex ordine Irinque ipsam fuste dolantes, pugnis fricantes; in *Avibus*, ubi plurimum venustatis, plurimum fustium; in *Lysistrata* vectes, flamma, aqua : huic festivitati non semper urbanitate conditæ additi tum servorum sordidi joci, tum barbara barbarorum, corrupta Thracum, aliena Bœotorum elocutio, tum a sensu vocabula, a more proverbia detorta; postremo derisa ubique per jocosam imitationem omnia, tragœdiæ, dithyrambi, mysteria, oracula, somnia, invocatio Deorum, heroum gesta, etiam lacrymæ[1].

Hunc priscum risum, priscam scurrilitatem retinuit vetus Aristophanis comœdia, populo gratam; gratam retinuit priscam quæ, e κώμῳ profecta, a Pnyce in compita, a compitis et viis in theatrum facile transiit, et, adolescente ipsa, adolevit, famosorum videlicet hominum, *si quis erat dignus describi*, descriptionem, ludibria, convicia[2], rei publicæ increpationem et, vini gratia, gubernationem.

Nec minus in specie et effigie fabularum τὸ « ὥσπερ καὶ πρὸ τοῦ » Praxagoræ suæ observavit Aristophanes, frequentissime usus eo genere in continuata rerum verborumque translatione posito, quod Græco ἀλληγορίας nomine signatum ad nos migravit, quod quidem, priscis populis usitatissimum, apud Græcos omnium Deorum fingendorum fons, Atheniensibus, vel in illa humanitate et doctrina, cum frigidum et odiosum in litteris fieri solet, arridebat et usu invaluerat, comicis jocis mire congruens, mire cadens in comicam ridicula et enormia quælibet audendi licentiam[3]. Non igitur sibi proponit Aristophanes, neque alius quilibet veteris co-

1. Cf. *Eq.* 1265; Eurip. *Alc.*, 182. — 2. A κώμῳ manat κωμάζειν, i. e, *convicia ingerere*. V. *Ach.*, 982. — 3. Offensi sunt semel spectatores, illa videlicet *Pace* immani, γρυζούσῃ οὐδὲ τουτί, quo quidem silentio Bacchus gaudebat in tragœdiis quibusdam Æschyli (*Ranæ*, 913 sqq), non populus in comœdia, neque immerito.

mœdiæ scriptor, exhibere nobis homines, ficti quidem nominis et vultus, ut in theatro decet, homines tamen : sed quamdam plerumque informat figuram, cujus os, vestitum, dicta ad rei imitationem, quam in animo habet, instruit, cujus sermo sententiam voluntatemque ipsius declarat, facies repræsentat, nomen ipsum denuntiat. Comicum igitur theatrum mira est regio, nullis ante habitata, media mobilisque cœlum inter, terram et inferos, ubi gens insolita ambulat, stabulat, volitat, flat, garrit, rostris crepitat, pugnis verberat, spiculis pungit, multiplex et versicolor, plena stuporis et risus, μορμῶσι referta et pullulans; ubi pennati homines, loquentes aves, ranæ pæanas, vespæ Phrynichum canentes, eæque lychnos, spicula, baculos gestantes, equi remiges, nubes pedites, navigia oratores facta; pax in lagenas infusa, moretum ex urbibus, pulmentum e Pylia victoria, helluo ὀξίνη [1], respublica lanifica, lanifico more texens omnia et deducens [2], et sexcentæ aliæ effigies [3] quarum colludit cohors nunc in versu uno, nunc in plurimis, risum semper movens, raro, ut illa cleonis coria ubique tracta, sonantia, olentia, fastidium. Sequitur inde oratio non nunquam quasi maculosa, distorta et scurrilis, nec absurda tamen toti Dionysiacæ pompæ spectaculo et colori, ubi non nihil simulatum, ubi homines phallophori, asinarii, thyrsigeri erant, imo feminæ, satyri, capripedes, pelliti, mimi prorsus et personæ fiebant; ubi non vas erat, non vestimentum, non uter, non umbella, non olus, quod non religiosum aliquid et abditum significaret atque loqueretur. Inde in comœdias, nec nunquam tragœdias in principio [4], fluxerunt personatæ rerum effigies et arcessitarum ex aliena natura figurarum tota ratio, accommodatissima cæterum illi, quæ in vetere comœdia dominatur, rerum publicarum commen-

1. *Eq.*, 1308. — 2. *Lys.*, 567 sqq. — 3. Nullus harum elegantior copiosiusque fasciculus est quam tota sacrificii supellex in totidem famulas mutata. *Eccl.*, 728 sqq. — 4. Cf. in *Prometh.* Βία, Κράτος.

dationi aut insectationi, brevibus nempe imaginibus, quarum oculus sit facile memor, animus facile tenax, repræsentandæ.

Qualem igitur esse comœdiæ formam moderatrix illa poetarum artificii, spectantium voluntas, talem ipsam esse intus jubebat. Nostra comœdia ficta quidem tota est, sed ad veri similitudinem res et dicta componit, servato diligenter factorum ordine ac personarum decore, salvaque sermonis convenientia. Non enim turba popularis theatra nostra implet, sed sedet delicatorum manus, artificii curiosa, inquirens quid periti, quid versuti habeat fabula, quæ vera sint, quæ verisimilia, quæ verum stringentia. Cæterum sessor scio mentitam esse fabulæ materiam, personas umbras esse, mox, defluente histrionis veste, resolvendas, scite scita devolvere, consulto loqui, moveri, ridere, gestire, intrare, exire : laxum nihil est aut vagum aut ineptum, omnia ordinata, librata et conclusa. His perfectis, vicit poeta ; plaudunt, conscii sibi volentibus data verba esse, sed verum e ficto, quæ laus magna, fuisse expressum. Contraria erat priscæ comœdiæ conditio, ubi argumenta non ficta, sed vera erant, ficta vero plerumque morum imago. Res agebatur vera, verum bellum, aut pax ; agebatur autem per homines modo plus quam verisimiles, veros nempe, suo nomine appellatos, suo vultu monstratos, modo plus quam fictos, ficto nomine et vultu, nempe veris absimiles. Hinc Socrates, Cleon, Euripides, Agathon, Cinesias ; illinc monstra monstranda, Trygæus, Pax, Vespæ, et quos novimus : ita ut abrupta videantur illa loca ubi constitit nostratum comœdia. Aristophanes ergo non aggreditur certa quædam ingenia hominumque naturas perite describere atque depingere, in quo comœdia nostra eminet. Sumit e media vita omnium, e foro, e tribunali, e gymnasiis, e via, aliquid apud Athenienses nunc versatum, prodit in scenam, et cum populo sui amicissimo, ut *Equites* testantur, confabulatur liberius. Tum mira incipit societas inter eos, hunc dicendi, illum audiendi faceta, gra-

via, et jocos, crimina, jurgia miscendi. Non e se ipso prompta spectantibus affert poeta, sed a populo desumpta, quæ sua ei restituit. Tum theatrum est domus aut fori quasi continuatio, imo forum ipsum in parabasi. Qui discrepant quæ intra, quæ extra theatrum fiunt? Ut chorus *medios intercinit actus*, sic scena dies festos intercinit. Utrinque instructæ epulæ, utrinque cantus, vina, scorta[1]; incœpta domi ante scenam, continuantur in scena, ut concludantur post scenam. Sedet inter spectantes Bacchi sacerdos, convivii in scena parati testis, mox convivii apud ipsum parati convictor, ad quod Dicæopolim invitavit[2]. Potus spectator potarum personarum facta ridet, laudat, mox imitaturus. Sua, suos, se ipsum in scena noscitat : hunc choreuten vicini filium agnoscit, illum suum; a sacrificante Trygæo ad dapes sacras invitatur[3], a jocantibus personis in jocos advocatur, quos nisi arriperet et continuaret, ex paucis multa, ex obscuris clara intelligens, hebetes frigescerent. Sic colludit ipse, agens personam, pars dimidia fabulæ, periculo suo eam alens atque augens, nunc derisor proximi sessoris a scena nominati atque impetiti, mox ipse derisus. Vespa comica, aculeo pungens omnes, a scena volat, volat risus per scenam, per cuneos, per compita, omniaque incendit.

Quis locus, inter hæc, illis naturarum ingeniorumque perficiendis descriptionibus et picturis quibus potissimum sese applicuerunt nova Græcorum et nostra comœdia[4]. Vix unus descriptus est φιληλιάστης, Attico magis, quod nomen ipsum significat, quam humano vitio notandus, nec ille sine scurrilitate depictus, nec sibi constans, sed a furore judicandi ad furorem compotandi vergens, unde in fine pocula et mensæ, quod erat monstrandum. In cæteris fabulis fit levis

1. De Atheniensibus dicere est quod Plato (*Leg.*, I) refert de Attica Tarentinorum colonia, totam civitatem per Bacchanalia ebriare. V. Athenæum, IV, 14. — 2. *Ach.*, 1083. — 3. *Pax*, 1115. — 4. In vetere comœdia unum Phrynici Μονότροπον qui ad illud genus referatur reperias, imo, cum a decreto coerceretur chori libertas, scriptum.

aliquando peregrinarum personarum adumbratio, ut Προϐούλου, in *Lysistrata*, verbosi illius et candide stomachosi fabulatoris. Nec non in fictis personis subtilior fere vividiorque inest veritas, ut in Populo, simplicitate et corruptela mixto, inerti, bono et acuto[1]. Cæterum poeta multo minus fabulæ contextor morumque pictor est quam spectantium colloquendo collusor, monitor, censor, narrator, oratorque. Subest enim variis personis,quarum voce, gestu, tota actione, spectatores sæpe compellat[2]; Nubibus etiam subest Socratis derisor[3]. Quam ingressus viam, huc et illuc discurrit, quo Musa, libido, tempus,risus opportunitas aliqua, non sat fabulæ opportuna, ferunt rapiuntque, concitatior aut remissior, omnia omnibus viis trahens, floribus, salibus, sordibus spargens, nunc ad lyram erigens, nunc pedestribus versiculis premens, nunc in largum orationis flumen effundens. Socrates, conglobata circa tabernam auditorum manu, Alcibiades, invitato in mensam amicorum cœtu, Aristophanes, convocato ad thymelen populo, colloquebatur; ille convivator, auxiliantibus saltatricibus atque citharœdis, hic vates, choro atque auletis, sermone uterque, suos delectabat : latiore ibi loco, pluribus congregatis, mutatum nihil.

Non vero compositior est Aristophanes in intexenda tota fabula quam in informandis personis. Nullam enim videntur aliam sibi præscripsisse legem, quam rem primum exponere, de ea mox disputationem pene oratoriam instituere, ubi, aperto dimicantibus campo, orantibus foro, aguntur e contrario duæ causæ pacis et belli, paupertatis et divitiarum, justi et injusti, defenduntur commoda et incommoda judicum, feminarum laus aut criminatio opponuntur, feminea virilisque reipublicæ gubernatio comparantur, æmulantur Cleon et Agoracritus. Cæterum parum curat qua causa adducta veniat, qua pulsa exeat persona, qua necessitate adsit

1. V. *Eq.*, 1120 sqq. — 2. V. in una et ea incipiente fabula, *Equitibus*, v. 38, 164, 233. — 3. *Nub.*, 805 sqq et alias.

alia non jam posthac exhibenda, neque quomodo inter se cohæreant aut quatenus producantur scenæ. Non justa, quibus eæ dividuntur, intervalla temporum metitur[1]; locos ex improviso in plerisque fabulis, nec semel in una, nec intercinente choro, mutat : in *Pace* a terra in cœlum, a cœlo in terram, a domo in senatum[2] unius orationis pronuntiandæ causa, scenam transfert; in *Ranis*, iter facientibus personis, sese continuat scenæ mutatio aut, ut vocabulum Græcum imiter, conversio[3], quoad, jam dimidia fabula peracta, stabilis illa fiat[4]. Vulgo in extrema parte fabulæ sat longa producitur series personarum huc forte et obiter advenientium; hæ alia post aliam[5] transeunt, vel abituræ mox, vel ibi remansuræ ut numerus sint in fine; tum ex improviso principes personæ, aliquandiu remotæ, revertuntur aut ex epulis aut ad epulas aut ad pæana aut ad hymenæum, simul ad fabulæ conclusionem. Aristophanis igitur fabula tripartita esse videtur, quarum prima pars est exponendi rem, secunda de re disputandi, tertia, ea quæ consequenda sint, si alterutrum e disputatis vincat, explicandi. Prima, iambica, per unam personam fit secum loquentem aut duas inter se colloquentes; secunda, anapestica, summa et arx totius operis est, quo tendunt omnia, unde omnia oriuntur; tertia, varia versuum numeris, rebus inordinata, personis inconstans, tempore vaga.

Neque vero alia Aristophanes tenetur lege, ne his quidem necessariis quas alii post eum comici et nostri, nullo tamen ideo servitio obligati, perpensa arte sua, ut aptæ membris essent fabulæ, statutas servaverunt. Alias enim immoratur in fabulæ vestibulo et circa rem ludit, nec sat lapide, ut in *Pace*, jocatur; nec minus dimidiis *Ranis* prima pars occupat,

1. *Eccl.*, 327 sqq. — 2. Hoc non satis constare fateor. V. *Pax* — 3. Ἐκκυκλεῖται εἰς τὸ ἔξω τὸ Θεσμοφόριον (*Thesm.*, schol., v. 277.) — 4. Semel in *Lysistrata*, bis in *Nubibus*, bis in *Acharn.*, etc., mutatur scena. — 5. Hujus generis fabulæ dicuntur Gallice nomine a forulis sumpto.

illa autem disputatio, caput et fons omnium rerum, advenit præpostera. Alias, adventitias adventitiis cumulat scenas, ut fabulæ multa vis abeat in jocos, aut in clamores convivantium, aut in ostentationem epularum, et cæteras crassioris voluptatis illecebras. Alias, postquam ad eventum tardior repsit, ad exitum præceps ruit[1], seu quia longior jam facta est fabula et spectator moræ impatiens sitit domesticam potius quam scenicam comessationem, seu quia ex consulto poeta, termino propiorem, concitatiore motu fabulam rapit, cum omnis illa loquendi, discurrendi compotandique ebrietas increbuit : tum enim iterantur cantica, luxuriat apparatus, et præcones, famuli, famulæ, nuntios ex nuntiis serentes, personæ, chorus, scenas urgent et properant[2]. Alias autem, uno quasi tenore it fabula, nec sinuosa variatur; sed durant oppositi inter se æmuli duo, minis, jurgiis, pugnis sese impetentes assiduis semperque revolutis : cujus sunt generis *Equites*, qui plus vi, salibus et acumine, quam lepore et facetiis abundant.

Neque tamen, quanquam sunt minus aptæ et libratæ Aristophanis fabulæ, non solidæ cohærent : vi sua stant, tum robore quodam rerum firmatæ et animi plenæ, tum chori compage connexæ. Chorus enim comœdiam fundavit in principio, fundatam revinxit et sustinuit. Lyrica carmina medullæ sunt comœdiæ : τὰ μέλη, τὰ νεῦρα τοῦ δράματος. Lyrici autem carminis princeps chorus est princepsque comœdiæ : laxata adstringet, separata conjunget, discordia consociabit. Quæ hactenus fluitare vidimus, tempus est jam a choro colligi.

1. *Thesmoph.* — 2. *Vesp.*, *Av.*, *Lys.*

CAPUT II.

De choro apud Aristophanem.

Quantum liberum et solutum est in comœdia quod vocant ἐπεισόδιον, tantum chorus severis ordinatus legibus : illinc non nihil moris et usus, cæterum libido et quidlibet audendi potestas ; hinc constans disciplina ; illinc varii discursus rerum hominumque, hinc certa, quæ chorum innectunt, metrorum, musicæ, saltationis, vincula. Quæ cogitas, disputas, indignaris, rides, de his videris ; tua sunt ; quæ das saltanda, movendá, vocibus canenda, accinenda organis, hæc Musa sua cavet. Hæc ars summa fuit semper[1], hæc adyta sunt : quæ circum lascivias, quæ, ut Cinesias Hecateia signa, conspurces, si libet, licet : sed adytis abstineas, vere sacris, unde decurrunt, quo recurrunt omnia. Sine saltatione et numeris Orpheus et Museus doceri sacra vetuerunt[2] : saltationem a musica, a musica cantum dissociare nefas. Hæc, inter se connexa triplicique legum rationi obnoxia, in choro, totius fabulæ nodo, coalescunt.

Nam primum, cum sit una lex comico poetæ, videlicet ut simplicem unamque rem disputet atquē repræsentet, per variasque et multiplices jocandi moras et agendi circuitus persequatur, illa argumenti simplicitas in choro fixa est : alias divisa et distracta, ibi pressa constat. It alea fabulæ ; personæ fluitant, huc illuc jactatæ ; solus permanet chorus, rei monitor, testis, actor atque judex.

Incipienti *Dætalenses*, unde exorsus est Aristophanes, singulariter memorandi sunt : ibi enim vere ἐπεισόδιον ipsa fabula,

1. *Ran.*, 1493. — 2. Lucian., de saltat.

si conjecturis credere oportet, medio in choro inseritur. Coram enim convivantium in æde Herculea choro, cujus et nomen et genus mire originem comœdiæ referunt, disputant personæde prisca et de nova disciplina. Sed hæc semel : cæterum chorus in societatem sui personas recipit, sibique annectit fabulam, quam regat et dominetur.

Nunc enim chorus fabulæ argumentum propositumque, genere et conditione personarum, quibus constat, docet : in *Pace* chorus est rusticorum pacem, vitis oleæque suæ causa, sitientium. Nunc nomen suum chorus fabulæ inscribit, quo certius indicet quid hæc sibi demonstrandum instituerit : sic *Equites* Cleonis odium quod poeta prædicat, *Acharnenses* belli furorem, quem insectatur, in pacis amorem, quem suadet, conversum, repræsentant : adnotemus etiam Aristophanis Æschylique fabularum dimidiam partem nomine chori appellatam ; e sexaginta autem Euripidis fabulis, vix quinque aut sex ita nominatas. Porro rei figura est chorus, cum in *Vespis* adstat aculeatus, acerba tuens, quærens quem pungat, aut in *Nubibus* advolat, ventosa resolubilique forma inanem significans sophistarum tumorem, aut in *Pelargis* avium illarum imagine pietatem in patres monet[1].

In comœdia igitur chorus se nec dissimulari nec supprimi sinit, originis suæ memor, præsidii custos. Poetæ propositum defendit, voluntatem loquendo prædicat, stando etiam exhibet et ostentat. Non aliud quam quod in nomine tacentis, in verbis canentis continetur, per fabulam explicatur totam. Interprete choro utitur poeta, interpretibus rursus cæteris personis chorus. Quid enim aliud sunt aut Dicæo-

1. V. *Fragm. Aristoph.*, Didot, p. 498. — Adde δράματα discerni et distribui a Grecis, non rei natura, sed choreutarum genere, in ἀνδρεῖα et γυναικεῖα (*Thesmoph.* schol., 154); — nec minutatim fabulas Græcas dividi, ut nostras, in actus, actus in scenas ; sed quæ solæ discernuntur partes, eas a choro separari, scilicet πρόλογον ante chori introitum, πάροδον dum ingrediens chorus canit, στάσιμον dum stationem tenet, ἐπεισόδιον chororum intervallum (V. schol. ad *Vesp.* 270).

polis ille qui solus concionem habet in foro, solus pacem in lagena, solus macellum in limine domus, solus convivium in domo; aut isiciarius qui vix nomen proprium habet, aut Cleon qui, se ipsum exuens, semper coriarium induit, aut Trygæus scarabæo per æthera equitans, aut Populus isiciarium inter et coriarium jactatus, quam, pro hominibus, ficta hominum simulacra et monstra monstranda? Homines sunt vere vivi Acharnenses, ad quos pertinet belli finis quem sentient; vere populus Equites sunt; vere agricolæ, illi qui propter agros pacem precantur. Imo, cum chorus ipse fictam pro humana faciem induit, illa poetæ consilium melius vividiusque significatur: nubium enim imago a spectantibus facile concipitur et memoriæ, reticentibus personis sublatoque scenæ apparatu, hærebit. Minus etiam vis habet ad notandos mores Atheniensium Philocleon qui e camino aut colliquiis descendit canem judicaturus, mox potaturus et saltaturus, quam ipsorum Atheniensium chorus, qui, vesparum nomine, antequam diluxerit, baculis innixi, Phrynichum canentes, in judiciorum, criminationum, suspicionum aucupium eunt, et, cum desipientem patrem sapiens filius vi servare contendit, testantur tyrannidi senes, pauperes, rempublicam totam impeti, et eum, qui judicaturo obsistat, patriæ proditorem, in Thracia ærarii expilatorem fuisse.

Hujus imperii sui conscius, chorus accipit quidem in colloquendi, canendi saltandique partem adventitias personas, quas ipse etiam tacitus diu spectat atque audit, sed nunquam obliviscitur se ibi dominari, et has amplissimas quatuor canticorum series quas Æschylus, *Baccheus princeps*[1], gaudente Baccho[2], devolvebat, sæpius continuat nectitque, sibique indulgens non parcam largitur canendi copiam[3].

Non ideo tamen sibi semper constat, sed semper poetæ;

1. Τὸν βακχεῖον ἄνακτα, *Ran.*, 1259. — 2. Ibid., 915. — 3. Ibid., 316-459, *Lys.*, 254-352, etc.

Acharnenses, abjurato bello, pacem orant; Populus resipiscit, recoquitur[1], revirescit; Vesparum aculeus hebetatur. Nubium tumor resolvitur. Vis scire quid disserere, convincere, ridere poeta in animo habuerit? vide quæ faciat dicatque chorus : quem ad eventum pergere? quo, fabula desinente, chorus convertatur. Totum poetæ propositum, tota comœdia in orationibus et canticis versatur : orare et canere, hæc summa est Atticæ vitæ, hæc fabulæ comicæ, quæ vitam effingit, hæc chori, qui fabulam totam repræsentat. Ille ad populum versus in parabasi, ad actores in cætera actione sua, orando et canendo causam poetæ suamque vincit. Ille denique, perpetuæ stationis miles, vere præsidium agitat comicum.

Jam vero non solum adjutor poetæ et vicarius voluntatem ejus exhibet, verum etiam fabulæ quasi operarius, explicationis et cursus illius est dux. Re enim exposita, tum demum chorus adest, nec obiter aut forte, sed consulto et opportune, ut rebus statim implicetur vimque addat et contentionem. Tum fervent omnia : pugnatur, clamatur, disputatur[2]; disputatio tum illa inter principes personas instituitur, arx, ut dixi, comœdiæ, quam chorus cantu et hortatione committit, commissam laudibus et stimulis acuit, confectam pæane aut nænia concludit. Hanc, utpote longam et fusius explicatam, dividit cantibus, saltatione implet, colloquio incitat, totam totus incendit. Hac in parte fabulæ disputata confirmantur in cætera, ubi plerumque, ut scimus, evenit principes personas, quasi repositas, locum cedere his peregrinis quas excipiunt, audiunt, compellunt. Chorus tum saltando canendoque rarius adest, sed arbiter campi sedet, spectantes monens quæ personarum probanda, quæ vituperanda sit, et quasi immissam a se præcipitemque fabulam, quo exeat, considerat. Nam cum, ibi concitatiore facta fa-

1. *Eq.*, 1336. — 2. *Eq.*, *Ran.*, *Vesp.*, *Lysistr.*, etc.

bula[1], disserant minus, canant saltentque magis et discurrant, hos regit chorus et impellit, committit, mox intercinens separat, intercinere cito desinit, ut committat iterum et ad exitum urgeat[2]. Fabula ad finem vergente, graviora sonat chorus; simul atque petulantiores, præparatis tandem epulis, personæ fiunt, chorus ad severiorem quamdam Dei reverentiam se componit, eumque, dum illi privatim lascivia et ebrietate, dignitate et sobrietate publice colere velle videtur, jocos grandibus verbis temperans, dithyrambi quam phallici delirii vicinior. Tum enim, ne in Thesmophorio quidem, quanquam ibi paululum parcus licentiæ, abstinet impuris vocibus quibus non violatur Bacchus, sed castigator vitii asperior, virtutis præco sublimior, majori testatur voce quid boni aut mali fiat in scena, verbis pressioribus vibrantioribusque sententiam moribus utilem acuit, errores suos ipse purgat, et, dum sinit incendi domum Socratis quondam sui, Strepsiadem objurgat. Dapibus in scena semper instauratis non accumbit aut intemperantius indulget[3], sed, nunc saltationi plerumque sacræ indulget et, dum humana canunt alii, divina tuens, Hymenæum canit[4] aut Evium[5], aut pacem Deosque plures celebrat[6]; nunc, ea nisi adducitur ut faciat nec sese personis in fine adjungat, silens aut pauca simpliciter dicens, quasi absolutis religiosa turba cærimoniis, recedit[7].

Chorus enim, quamvis sæpius, quam moribus nostris decorum est, inurbane loquatur et moveatur, tamen multam quoque habet qua cæteræ, ut comicas æquum est, personæ,

1. Exceptis *Ranis*, *Thesmophor.* — 2. V. in *Equitibus*, *Nubibus*, *Vespis*, *Avibus*, *Ranis*, quam breves fiant intercinentis chori moræ. — 3. In *Eccl.* fabulæ ipsius necessitate convivari debet, sed convivaturus recedit. Fatendum cæterum epulis chorum abstinuisse forsan ob nimios quoque futuros apparatus atque sumptus. — 4. *Ach.*, *Pax*, *Av.* — 5. *Eccl.* — 6. *Lysistr.* — 7. *Eq.*, *Nub.*, *Thesmoph.*, *Ran.* — Quæ ad saltationem chori, desinente fabula, pertinent, ea parum constare mihi videntur. Recedentem chorum nunquam saltare scholiastes (ad *Vesp.* in fin.), chorus ipse tunc se saltare quasi nefas dicit; in *Eccl.* tamen saliens exit ad dapes : deest iambica in his conclusio ?

vel in forti eloquentia, carent, dignitatem et magniloquentiam, ad quas serius ociusve in omni fabula se convertit et erigit. Nec modo mystas lego, socios Bacchi in *Ranis*, Baccho ipso severiores, neque Cererem in Thesmophorio celebrantes, medios scilicet tragicum inter et comicum choros; neque Aves, aliquid e divina, quam ferunt, origine cœloque patrio retinentes; neque Nubes, vestitu et oratione Deæ: rusticos dico, carbonarios, agricolas, viticolas, quos et ipsos afflat Musa et ad sublimiora aliquando excitat. Neque hæc indecora saltatione corrumpunt; discurrunt quidem, fugientibus instant, obluctantibus ictus impingunt, qui motus et gestus ad cæterarum personarum ludum necessario accommodantur et scenam comicam decent; sed non ridicula saltatione priscave cordace oculis spectantium lenocinari aggrediuntur: quam laudem merito, si non merito alias, peculiarem sibi vindicat Aristophanes[1].

Hæc igitur fuit chori conditio, hoc munus, fabulam scilicet in tot spectaculorum diversorum pericula et diverticula distractam ad simplicitatem redigere, vatis propositum indicare voluntatemque tueri, postremo dispositionem ductumque comœdiæ moderari. Nec vinculis tamen innectebat fabulam aut morabatur, quæ quidem expedita nihil coercitum habet, sed exsilit et a proposito longe lascivire solet; neque ipse arctatus videtur nec trahit catenam. Quanta ingenii ad omnia versatilis calliditate liberrimam fecerit poeta fabulam promptamque ut se, quo libuerit, converteret, vel ex hoc conjectare licet quod chorus pluribus et certis legibus vinciebatur. Perpauca sunt, quæ de his noscere possumus, quæ affirmare, nulla. Dubitari tamen non potest quin intrandi ratio et stationem petendi; numerus choreutarum, genus aut mixta genera mixtæve ætates[2]; canticorum genera et modi, nunc a stante choro, nunc a saltante, nunc a solo choro, deductorum, nunc autem inter duas chori partes aut

1. *Pax*, parabas. — 2. V. schol. ad *Eq*. 589.

duos etiam choros, aut chorum personasque, divisorum; saltationis species nunc cyclicæ, nunc implexæ, plerumque a choro uno, aliquando etiam ab una aut pluribus personis actæ; cæteraque observanda et cavenda poetam moderari simul et impedire debuerint.

Nam primum quod ad numerum et dispositionem canticorum pertinet, constat ex comparatione undecim fabularum, poetam non cumulasse chori partes, antequam intercinentem quater induxerit. Neque e necessitate fabulæ legitime explicandæ, ut apud nos statutum est, pendebat hæc quadripartita chori exhibitio, fabulam in quinque partes dividens : quædam enim fabulæ, nulla rei dividendæ necessitate, abscinduntur quasi in præceps, ita ut, recedente mox choro, continuetur series, dum intercineretur, morata, personarum aliarum alias pone sequentium : sed mos certe erat et religio quater in thymele a choro cantari aut saltari, unde in quinque partes dividi fabulam evenit. Nunc autem cantica scenis ipsis admixta aut stant per se, aut solerter dividuntur coryphæi recitatione, ea provocante, moderante, distinguente[1]. Canticum, cantico altero non respondente, μέλος a scholiastis nominatur, si a solo choro, amœbeum insuper, si ab actore quoque, colloquii instar, canitur; si cantico canticum iisdem numeris respondet, illud stropha, hoc antistropha est, quæ quidem aut non amœbeæ aut amœbeæ sunt.

Hæc igitur legenti videntique patent. Sed utrum oporteret poetam, ut quatuor intercinentis chori cantica, ita horum variorum carminum cujusque generis statutum justumque implere numerum, certis ea quoque distribuere intervallis, et secundum hanc necessitatem opportunitates fabulæ flectere, hoc in incerto est. Nam neque veteres scholiastæ et grammatici, cum multa de parabasi consentientes disseruerint, quidquam de cætera chori distributione tradiderunt,

1. *Vesp.*, 333 sqq.; *Ran.*, 325 sqq., etc.

neque iidem inter se, neque recentiores aut inter se aut cum veteribus de chororum divisione concordant[1]; sed hic μέλος monostrophicum putat, quod ille stropham[2]; hic choro soli dat canenda, quod ille partitur; alii stropharum, antistropharum, ἐπῳδῶν varie implexarum tabulas describunt, et anticam, mediam, posticam partem in quaque discernunt, quas omittunt alii aut esse negant. Hæc igitur multum noctis habent, confitente Hermann (*Elem. metr.*, p. 726, 730). Illud tantum colligitur e lectione ipsa et carminum comparatione, quemadmodum in actorum colloquiis poetæ tragici comicique crebro usurpent circumcisam aliquam et sedulo dinumeratam sententiarum, verborum metrorumque oppositionem[3], sic eamdem a comicis in cantibus chori disponendis adhiberi : neque enim modo strophæ antistropham Aristophanes opponit sive contiguam sive separatam, sed scite eas, dimensis intervallis, collocat, ut et strophæ antistropha, et pars scenæ, strophæ aut antistrophæ adjuncta, contrariæ parti respondeat[4]. Omnia fere in fabula Aristophanis, quæ formam spectant, dinumerata, et librata perspicies. Facta et sententiæ temeraria et vaga aliquando videntur : carminum compositio certa et stabilis apparet. Inordinatæ res, ordinata verba sunt. Ne particula quidem scenæ fluitante, ubique σύστημα desinit aut incipit. Apud nos contra est : nam quid dicas, magis quam qua mensura scenæ, aut versuum inter se responsione, attenditur.

Illa recitationis cum recitatione et cantici cum cantico ordinata oppositio exactissime perficitur in præcipua fabulæ scena, id est in disputatione de qua diximus. Primum, quasi præludii causa, incœpturæ prænuntium cantum chorus inchoat, stropham agendo, cui ex intervallo, nempe cum anapestica facta ab uno ex adversariis oratio desiit in cantile-

1. Cf. scholiastas, Kuster, Bothe, Dindorf; quos solos recensui partim. — 2. Cf. schol. et Dind., ad *Ach.*, 204. — 3. *Ach.*, 1097 sqq; *Eq.* passim; *Pax*, 1265 sqq., etc. — 4. V. *Pax*, 431 sqq.; *Ran.*, 503 sqq.

nam, quasi ob hujus continuationem respondet, laudandi aut vituperandi causa, antistrophicus cantus. Hunc excipit alterius litigantis oratio, quam ipse cantilena ut prior, chorus autem cantico concludit, seu uno, seu in stropham et antistropham diviso[1].

Longum et amplissimum est hoc σύστημα. Strictiora illa e scenarum fasciculis sumpta. En occurrit illud in *Acharnensibus*[2]: chorus ruit stropham agens : « Verbera, verbera. —Ollam mihi perfringitis, » clamat Dicæopolis. Pugnis igitur primum, mox, stropha peracta, lingua altercantur. Vi rursus, tum vero a Dicæopoli, intentata, chorus antistropham facit quam hic verbis suis dividit. Paciscuntur autem ne manu decernatur, sed oratione : redit stropha, orante Dicæopoli, antistropha, perorante. Quam solerter committitur et agglutinatur choro adventitium ἐπεισόδιον! Proserpina epulas nuntiante, Bacchus Herculeam vestem Xanthiæ aufert, ipse sumit : tum Baccho gratulatur chorus strophico cantu, cui ille cantico respondet. Mox minantibus cauponis, Bacchus exuit Herculem, Xanthiam induit : tum vero Xanthiæ gratulatur chorus antistrophico, cui ille cantico[3]. Ridiculi multum atque salis in illa Bacchi dissimilitudine, similitudine chori.

Jam manifestum est quot legibus ordinandus esset chorus, quibus tamen poeta vinculis non impeditus languet frigetve, nec suis semper vestigiis reptat, sed pressus constrictusque numeris vividior salit. Datam materiam exornans versat argute, chorum varie instruit.

Intrat enim chorus (ut incipiente eo incipiam), nunc tardus, nunc citus, nunc currens, nunc Theorum quærens, nunc Cleonem verberans; nunc coryphæum sequens recitantem, nunc saliens canensque, nunc, saltitantibus vel invite cruribus[4], non canens ne carmina ipse crasso risu rumpat;

1. V. *Eq. Vesp.*, *Av.*, *Ran.*, etc. — 2. 280-393. — 3. *Ran.* 503-604. — 4. *Pax*, 325.

aut minas et jurgia, aut questus et lamenta, aut preces et hymnos edens; hic vectibus armatus ut antrum rescindat, hic ligno, ut arcem incendio occupet; modo diurnus, modo nocturnus, aut dilucente die, aut lucente luna, lucernis ibi, facibus hic prælatis, in domum, in viam, in forum, in gradus templi, in Thesmophorium, in stygium iter; vacua scena alius, alius ab actoribus occupata, alius scenæ e machinis imminens.

His adde vestitus, personarum, gestus motusque varietatem. In scenarum cursu chori cantus atque motus diligenter accommodat poeta ad cæterorum actorum societatem : actor enim tum chorus est; cum vero, recedentibus personis, solus manet suique compos[1], cantor est. Illic, it, discurrit, actoribus auxiliatur, stropham ab antistropha intervallo separat pro opportunitate non sua magis quam, ut videtur, fabulæ : hic autem intercinens movetur sui Bacchique causa, non fabulæ. Contingit tamen aliquando et chorum, statione occupata, quasi continuare scenam, unde non parum gratiæ accedit spectaculo. In *Thesmophoriazusis*, fabula cæterum languente, chorus feminarum, utrum delitescat vir in templo circumcirca dispiciens, accensis lampadibus, pallis exutis, leviter ubique effert pedes saltandoque explicat implicatque choreas. In *Ecclesiazusis*, quæ multum salis habent, scenici motus partim, mulieres barbatæ baculisque innixæ, a Pnyce reduces, caute irrepunt *circumspectatrices cum oculis emissitiis*[2], ut clam femineas vestes recipiant.

Alia porro oritur spectaculi varietas e diversitate choreutarum et diversorum colloquio, cujus jucunditatis exemplum est senum Vesparum facti cum luciferis pueris cantus et saltatio. De chori autem canentis divisione non constat utrum totus stropham et antistropham, an pars una unam,

1. Non plus quam semel in XI fabulis stationis socium, dum intercinit, habet, Populo scilicet cum eo manente (*Eq.*, 1110-1150).—2. Plaut., *Aulul.*

pars altera alteram perageret[1]. Constat tamen, voluntatibus aliquando divisis, dividi cantus, ut Acharnensium chori circa Dicæopolim[2]; imo dividi chorum non voluntate solum sed genere, ætate, vestitu, quam ob causam quidam non unum esse dissimiles comprehendentem, sed duos nominatim, quorum unusquisque e similibus constet, affirmant. Ampla inde materia fabulam variandi et multa opponendi, qua συστήματος genere comœdiam scimus gaudere. In *Lysistrata* senum strophæ semper respondet feminarum antistropha, paribus quidem numeris, ut oportebat, disparibus habitu, gestu; sermone, ut decebat; hinc lignei fasces, illinc urnæ; hinc intentatus ignis, illinc defluens aqua; hinc convicia senum, illinc feminarum risus, hinc tardi, illinc leves pedes. Nil lepidius gratiusque ad videndum et audiendum quam illa *concordia discors*, qua tantum delectari spectatores Aristophanes putat, ut in nulla fabula chorus tamdiu saltaverit, cecinerit, voce et manu pugnaverit.

Choro accedit non nunquam alius chorus quasi advena, ut Musarum quas Agatho tragœdiam docet[3], et Ranarum, fabulæ etiam titulo inscriptarum, quæ ex ima palude crepantes non cernuntur, audiuntur tantummodo. Denique peregrini vel duo chori in *Lysistrata* desinente adsunt, qui hujus fabulæ conclusioni elegantissimam præ cæteris pompam addiderunt, cum ex una parte Athenienses Attico d alecto, ex altera Spartani Dorico pacem Deosque quique suos celebrant, data varia vario sermone audiendi copia.

Copia etiam magna varietatis est in saltatione. Saltatione comœdiam carere nefas, utpote natam e cantus genere saltationi conjunctissimo. Græcis saltatio omni memoria usitatissima fuerat in diversasque separata species, diversis rebus animorumque voluntatibus aptas, diversis nominibus appellatas. Saltabant in Olympo Dii, in mari Nymphæ[4], ho-

1. V. Hermann, *Metr.*, p. 727. Varias conjecturas dat. — 2. *Ach.*, 556.— 3. *Thesmoph.*, 101 sqq. —4. *Aves*, 219; *Nub.*, 271

mines in conviviis, in funeribus, in ludis, in gymnasiis, in sacris, circa mensas, circa Deorum statuas, nudi, armati, pelliti, cornipedes. Saltabant ideo in theatro choreutæ. Nullo saltationis genere abstinuit Aristophanes, ne rusticiore quidem agricolarum in *Pace*, mendicorum in *Pluto*, Philocleonis in *Vespis* : sed eleganti et religiosa sæpius utitur, nunc simplici, ut feminarum in *Lysistrata*, urnis depositis, et avium ante Pisthetæri sponsam advolantium; nunc cyclica et varia, ut mystarum in *Ranis;* nunc cyclica primum, mox sinuosa et implicata, ut *Thesmophoriazusarum :* cæterum cujuscumque sit generis, nunquam nisi solerter est inducta et eleganter, testibus feminis quas vidimus per choreas, ni vir lateat in Thesmophorio, quærentes.

Postremo e tibiis et vocibus carmini saltationique accinentibus magnam tum jucunditatem, tum varietatem ducebat poeta[1]. Sententiarum enim diversitas et repentina rerum in contrarias mutatio trahebant diversitatem numerorum, quæ nec parum gratiæ fabulæ, nec parum laudis vati afferebant, ut qui eam suppetere et distribuere deberet, in hac necessitate non animis modo, sed auribus atque oculis satisfaciendi. Hanc enim cavere et moderari numerorum gratiam atque varietatem, vatis ipsius erat, neque pepercerunt poetæ et philosophi tibicinibus qui accommodare tibiis carmina voluerunt, nedum carminibus tibiæ obsequerentur. Harum igitur pro sua parte moderator erat vates; perargute etiam tibiarum cantu carminum prænuntio utebatur, ut in *Ranis*, cum, mystis appropinquantibus, ex inviso loco resonant; aut responsore, ut in *Avibus*, cum, epope lusciniam vocante, tibia lusciniam imitans canit. Hæc aurium sunt, illa oculorum. Non enim solum tibias fabulæ suæ accommodat Aristophanes, sed etiam tibicines. Alium vestitu et ore in lusciniam mutat; chori cantibus accinentem

1. Choregi debebant auletis choros instruere. V. schol. ad *Pacem*, 531.

et præsentem, alium ibidem in corvum[1]. Anus illa, viros sitiens cantuque provocans, lepide *amicellulum* tibicinem blanditiis hortatur se ipso digna cantica canenti accinat[2].

Neque igitur chorus poetæ, neque choro poeta servit; sed chorus certas severasque leges sequitur in omni actione sua, quam omnem poeta inveniendi libertate et novitate distinguit: unde spectatores duplici afficiuntur delectationis genere, quod ex ordinatione nascitur et e varietate. Cæterum si nunc, comperta tota chori ratione, poetæ propositum repræsentantis fabulamque connectentis, quærimus quomodo animatus sit, quid spiret, quid agat, perspiciemus sub hac composita specie sententiarum rerumque temeritatem ne latere quidem, sed sese aperte explicare : ita ut chorus, quam licentiam vidimus, e viis in pulpita eductam, sese per fabulam omnem sine more pandere, eamdem in se quoque retinuerit, nedum, compositus in certum quoddam litterarum genus, abjiceret aut coerceret.

Tragica fabula tota posita est in rebus præteritis, quæ nobiscum nihil commune habent : non enim nostra res agitur spectantium, pecudesne Ajax ceciderit aut Andromachæ natum subripere tentaverit Hermione. Qui, quid, quomodo, quando egerint, poeta nobis verisimile videri, imo verum credi vult, et e tradita antiquitus memoriæ supellectile argumenta sua depromit, nos credituros ratus. Sed Græcia mendax, ausa scribere multa in historia quæ legerentur, plura etiam ante conditam historiam memorare ausa est quæ traderentur : hinc varii et ad lacrimas aut indignationem mire compositi casus Sisyphi aut Athamantis aut Helenæ, pauci e sexcentis, quos Æschylus, Sophocles et Euripides, quanquam veterrimos et mendacissimos, musa sua commendaverunt : si nobis, Periclis nempe æqualibus, parum congruit Ajax, minime Sysiphus; si multa in tragœdia parum veritatis ha-

1. *Av.*, 682, 861. — 2. *Eccl.*, 871.

bent, multa etiam multum mendacii[1]. Ea tamen omnia poeta ita aptat et depingit, actione et oratione inter se tam convenientia facit, ut vera et naturæ nostræ consentanea videantur, imo consentanea illi, quam pro commentitia veram nobis fingimus, historiæ.

Comœdia autem vetus arripit nostra et narrat, nos vivos viventesque in scenam inducit; qui sumus Cleo, Euripides, Socrates, inducit nomine nominatos nostro, veste indutos nostra. Omnia tamen, in ducenda fabula, ita jactat, ita veris falsa, aptis inepta, congruis absurda miscet, ut plura mentita videantur quam vera. Quæ in tragœdia a nobis remota sunt, temporum locorumque intervallis abrupta, abolita, quæ subjiciunt oculis nostris viros aut qui non jam sunt aut qui nunquam fuerunt, ea dubitare utrum fuerint, si verum imitantur, nec possumus nec fas ducimus. Quæ domi, in via, in foro, tangimus, audimus, videmus, ea si mentiuntur in scena, mentita arguimus aut risus excusatione absolvimus, in theatroque sedemus homini similes qui somniaretur quæ vigilans fecit.

Qualis totius fabulæ est conditio, talis est chori. Chorus tragicus veritatem quamdam servat, quam comicus, sinceriorem. Ille enim sua, suo ore dicit, vestitu suo indutus agit; suo in orbe moratur, priscus prisca agens, æqualis sibi. Hic vero nostra non nostro sermone, non nostro vestitu, loquitur facitve sæpissime; mores nostros exuit, longe divertit a nobis, a se. Tragicus non magnam in tragœdia partem habet, sed, quam habet, æquabilem et aliis rebus congruentem; comicus maximam, sed minus moribus cohærentem. Æschyleæ Choephori, Agamemnonis æquales, ea sentiunt, dicunt atque curant, quæ tunc temporis solebant feminæ; Euri-

1. Aristoph. de Æschylo :

Ἀλλ' ὦ πρῶτος τῶν Ἑλλήνων πυργώσας ῥήματα σεμνὰ
Καὶ κοσμήσας τραγικὸν λῆρον................

(*Ran.*, 1004.)

pideæ Troades, quæ Trojam spectant, quo more et sermone feminas et captivas decebat. Idem color est tragici chori, qui temporis,factorum et morum quæ fabula cætera repræsentat. Is est color comici, qui poetæ libuit. Omissa parabasi ubi chorus non se agit sed poetam, quanta est, ubi suus est, rerum et orationis aliquando discrepantia! Gulæ præco, Dianæ laudator, a Diis exorsus vergens ad nebulones, a magniloquentia lubricus ad scurrilitatem, sibi non constat. Juvenantur senes, vix audenda clam viris feminæ palam clamitant; rustici de litteris disserunt[1], mystæ in inferis doloso superorum balneatori maledicunt, aves mœchis et cinædis prospera optant.

Comicus igitur chorus, quanquam conjunctior fabulæ, cujus dux est, quam tragicus, minus fabulæ, quam hic suæ, consentaneus aliquando est; quanquam plura agit, dicit, vincit, minus secum, minus cum fabula cohæret, magis cum spectantibus, jocos, ut his gratus sit, undecumque occurrunt, sumens. Chorus comicus, sedens in statione, medius personas inter et spectatores, ab his haberi potest quasi vicinior sibi pars personarum, ab illis, spectantium : transit ab aliis ad alios, in priore fabulæ parte, dum eam committit, actor magis, in posteriore, dum commissam recognoscit, magis spectator.

Neuter vero, sed suus tantum est in parabasi, quæ quasi ordinata est licentia, totamque exprimit comœdiam. Non hic exponam quod plane notum est, quid sit parabasis, quid nomine suo significet, quot in partes divisa sit, qua ratione sese excipiant in ea vicissim cantus et recitatio, quo utrumque versuum numero concludatur; quæ fabulæ justam parabasin habeant, quæ curtam, quæ nullam, quæ duas, quarum aut una justa, altera manca est, aut neutra completa; quæ,

1. *Pax*, 775 sqq. — Inde et aliunde convincat Plutarchus ab Aristophane non servatum in personis decorem (V. Comparation. Aristoph. et Menandri).

non alteram quidem, sed quasi adumbratum quoddam alterius membrum[1]. Nam parabasis strictius etiam quam cætera comœdia ad certas normas redigebatur, de quibus a grammaticis dissertum est. Sed in ea, metrica semel, motu cantuque rite ordinatis, ut oculi auresque spectantium rite implerentur morique Dionysiacorum carminum satisfieret, vatis sententiæ liberrime vagabantur. Tum enim chorus, aversus scenæ, dat omnino terga fabulæ; tum simulationis impatiens, se suumque poetam aperte prædicat, spectantes increpat, privatas publicasque res tractat; tum datæ criminationi habenæ, et perditissimi cujusque ad populum e subselliis ipsis, si adest, provocatio. Ibi autem miram aliquam orationis repugnantiam adnota : cum spectatoribus enim confabulatur chorus, re alienissimus plerumque a persona quam modo habuit, sermone vero congruens; personam non jam agit, personam semper loquitur. Nubes, Vespæ, Aves res a nubibus, vespis, avibus remotissimas narrant et disserunt, quo orationis colore nubes, vespas, aves narrare et disserere decet : sic unus ex his chorus, homine vespaque mixtus, non nisi aculeos crepat aculeataque dicit, præteriti hominis memor, præsentis vespæ conscius, mox futurus rursus unus e multis, de choreuta sutor : qui porro neque sutor neque vespa, imo ipse est Aristophanes. Poeta enim sub tota fabula latet, in choro se ostendit, in parabasi autem chori se ostentat.

Ea est parabaseos mera farrago. Quam tamen sinceram audaciam, in tanto veritatis et verisimilitudinis Aristophaneo ludibrio, nescio an malim quam illa Euripidis chori aut personarum, in ipso scenarum cursu, a fabula antiquitatem tota redolente et ad præteriti temporis imitationem unice exacta, subita ad res præsentes diverticula et forenses oratiunculas[2]. Nullum enim comœdia, severum autem tragœ-

1. V. Prolegomena de comœdia, ed. Didot; Hermann, chap. 22.—2. Ῥηματίων δικανικῶν (*Pax*, 534).

dia præ se fert rerum personarumque decorem et tenorem; in comœdia a contrariis ad contraria fit ubique saltus, in tragœdia inest utique compositæ cujusdam æquabilitatis dignitas, cui sane officit hic ad extranea, quo gaudet Euripides, respectus et vox poetæ inter personarum colloquia discors. Comœdia saltem non decipit incautos aut nil tale exspectantes; non furtim, sed palam hæc audet, concionaturusque chorus e statione ad spectatores migrat. Nec nunquam etiam, si concionare in animo habet, concionaturum se monet, parabasin cantu imitatus : Nubes epirrhematica recitatione utuntur, cum grandinem, repulso poeta, minantur, aut, coronato, pollicentur pluviam[1].

Jam parabasis non solum lasciva comœdiæ peregrinatio, poetæque prædicatio, verum etiam est chori facta ab ipso vindicatio. Hic enim se testatur ducem magistrumque comœdiæ, suam rem agi in scena, suum esse poetam, suam fore, si huic decernatur, coronam. Nec poetam tantum, sed se præ se fert, sui ipsius causa spectatores urget, Minervam ejusque comitem Victoriam præmium melicum choricumque rogat[2].

Parabasis igitur, cum chori sit e suggesto concio, summa est totius comœdiæ, cujus duplicem naturam, ordinatissimam simul et liberrimam, exhibet. Longe alia est atque prologus Latinarum comœdiarum, quem ex actoribus unus, *orator* dictus, *ornatu prologi*, non vero chorus, ornatu suo, pronuntiat; qui præfatur, ne importunus posthac interveniat, non vero fabulæ mediæ insertus interfatur. Prologus ne hospes quidem fabulam intrat; adest in limine, mox abiturus nec rediturus : chorus autem, ut palam moneat se domi dominari a principio, actores contra quasi adventitios fabulæ obrepsisse, quos, si loquuntur, loqui nimirum sinat, per inter-

1. *Nub.*, 1114. V. schol.— 2. *Eq.*, 589. Hæc verba et vota callide ambigua vult equitum chorus interpreteris dici simul de victuris Cleonem Equitibus et de victuro æmulos Aristophane.

valla ipse benigne silens, interfatur parabasi semel aut bis, cum libet, sua suo nomine agens, dicens, canens. Quod quidem interfationis vindicationisque genus in nulla unquam specie dramatis reperias, adeo veteris Græcorum comœdiæ choro peculiaris est parabasis, veteri comœdiæ chorus, Græcis vetus comœdia.

CAPUT III.

De carmine lyrico apud Aristophanem.

I. Quæ canunt personæ; quæ canunt personæ et chorus. — II. Quæ canit chorus : 1° quæ ad Deos pertinent, 2° quæ ad patriæ laudes, 3° quæ ad satiram, 4° quæ ad rus, 5° quæ ad amorem.

Choro, ut vidimus, prisca comœdia vigebat; choro deturbato, jacuit, neque unquam posthac, revirescentibus post longa sæculorum intervalla apud nostræ ætatis gentes Græcis litteris, fruticavit, decisus radicitus. Floret tamen recens, matutinus adhuc: floret enim carmine. Leve aliquid ejus lyra et delicatum, sed vetustati infractum: fuit chorus; abeunte Baccho, abiere bacchationes, tibia siluit, saltatio resedit: integra viget Aristophanei carminis viriditas, quod, ruptis quasi reticulis quibus cum multiplici artificio fabulæ alligabatur, ad nos liberum advolavit. Hæc enim est Aristophanis, ut summorum poetarum, facultas, ut carmina non suis solum æqualibus, sed omnium temporum humanitati idonea ediderit, nec unius ætatis judicio fluxo accommodaverit dicendi genus, sed justæ æternæque scribendi rationi, nec gratiam carminum

quæsierit tantum e rebus studiisque præsentibus, sed eis vim propriam e se ipso collectam ingenioque suo expressam infuderit. Non defuere Athenis, dum ipse viveret, poetæ, qui priscos mores prædicarent, recentes reprehenderent, ut Crates in *Bestiis*, Cratinus in *Legibus*, malos nota, bonos laude declararent, pacem pro bello, simplicitatem pro corruptela, Æschylum pro Euripide potiorem haberent, femineum genus riderent, Socratem philosophantem, Platonem de republica somniantem plecterent. Non solus Aristophanes continuas illas verborum translationes corporeas fecit et e verbis vertit in viva simulacra; non solus Aves, Vespas, Ranas oratione ornavit; Ranas quoque, Aves Culicesque Magnes; Bestias Epicharmus, Capras Eupolis, Pisces Archippus. Humano vultu induit Leges Cratinus; Populos, Urbes Eupolis, ut Insulas Aristophanes. Imo in aliis fabulis anima præditæ dapes sese ultro ministrabant, assi turdi os, precantes ut deglutinarentur, circumvolabant, pendebantque arboribus botuli[1]. Cum supra alios videatur excelluisse Eupolis, εὐφάνταστος εἰς ὑπερβολήν, non solus neque audacissimus aut feracissimus talia excogitavit Aristophanes, solus vero oratione exquisitissima decoravit, et vim Cratini, elegantiamque Eupolidis, inter suos æmulos primorum, miscuit.

Vis et suavitas lyrica (hoc enim primum animadvertam), ut in carmine proprie dicto lyrico, quod canitur, eminent, ita non hujus finibus terminantur, nec, cessantibus lyra et cantu, omnino cessant. Multis etiam in aliis comœdiæ locis nitent aut parcius aut liberius : nunc unum verbum obiter flosculo pingunt, nunc quasi intus in tota fabula spirant. In *Nubibus*, ubi aeria illa et pæne divina simulacra in scenam delapsa sunt, nescio quid subtilius et elatius a musa afflatur vel personis minus urbane jocantibus[2]; in *Pace*, ardens qui-

1. E Cratetis *Bestiis*, Pherecratis *Metall.*, *Persis*, Teleclidis *Amphictyon*. — 2. Strepsiades nempe dicit, cum locutæ sunt Nubes : ἡ ψυχή μου πεπότηται. V. 319. — V. exempli causa, ibid., 1005-1009.

dam impetus vel rusticos animos rapit ad Pacem conquirendam armis, erigitque ad Pacem precibus consalutandam. Nullus est tam rudis pinguisque ingenii aut rusticæ conditionis persona quam non et ipsam, occasione data, aliqua levet aura. Vis enim illa non est personæ magis quam poetæ, sed, sive fluvius sive rivulus manat, hujus ingenio elicitur; et quanquam alius est loquendi mos et color Acharnensium carbonariorum, alius Equitum, alius asperorum e plebe judicum vesparum nomine, alius e cœlo decurrentium Socratici ingenii imaginum, Nubium forma, spirat ubique aliquid Aristophaneum quod tardos excitat, expolit crassos, obtusosque acuit. Nec unquam deficit et inarescit, sed e servi et famulæ ore fluit[1]; præreptoque comœdiæ choro, detorta alio tota fluit, ut in Carionis servi gestientis verba, qui, Pluti donis repletus novoque instinctus numine, delicatus ipse fit et, e rusticitate recens, lepidissime, cum lyrico spiritu, celebrat miscens panarium alba farina plenum, eburneam muscipulam, unguenta et vasa argentea[2].

Nunc separatim dispiciam, suavitatis lyricæ delibandæ causa, primum cantica aut ab uno actore devoluta aut inter plures divisa, mox a choro simul et ab actoribus, dein, quæ præcipua est pars operæ, a choro cantata.

I.

Actores alia canunt, alia canunt et saltant, neque hoc aut illud temere, sed ipso motu actionis ad alterutrum adducti. In disputatione anapestica, fit sensim personæ prioris inclinatio a disserendo ad canendum, cantum excipiente et sustinente choro, donec ad disputationem ab altera persona redeatur, unde iterum ad cantum. Hac in scena statutum hoc et

1. V. Famulum, *Ach.*, 1174; nuntium, *Av.*, 1706; famulam, *Eccl.*, 1112 — 2. *Plut.*, 802 sqq.

fixum. Alias fit idem. Trygæus chorum ad Pacem adorandam invitans præit ipse minutis numeris ad cantum dispositis[1]. Idem, incipiente fabula, prodierat cantu scarabæum regens. Strepsiades præ gaudio ter cantu interpellat colloquium cum Socrate[2]. Quæ cantica optime cum fabula congruunt. Aliquando ridiculum et lepidum aliquid ex ipso cantu petitur, vel si minus faceta sint quæ canuntur. In *Avibus* ridicule Cinesias, inopportunus tunc διθυραμβοποιός, cantibus non canentes aggreditur[3]; ridicule Mnesilochus revinctus, excogitato, ut liberetur, artificio e tragœdia sumpto, mixtis jocis et questibus ministras artificii manus cantu alloquitur[4]; ridicule Strepsiades humi stratus, initiandorum more, cimicibus simul et creditoribus se voratum luget nænia, ad quod canticum sponte ducitur acuta et flebili vocis suæ, dum gemit, inflexione[5]. Illam canendi varietatem maxime suppetebat peregrinarum personarum nota nobis exhibitio. Arbitro sedente Pisthetæro, longus ordo adest concupiscentium alas, quorum alii sedate veniunt, alii jam prævolant canuntque, adjutus ille Sophocle, hic Alcæo[6].

Quam varietatem jure dixerim duplicatam, cum inter se, colloquii instar, alius post alium, canerent actores, ut Trygæus ejusque servi. Quid, cum non concordes, sed discordes sic canerent, et esset pro alternatio altercatio? Neque eæ citius pugnæ concludebantur : diu missilibus hemistichiis canentes sese lacessunt Justus et Injustus; diu, cum majore etiam et festiviore spectaculo et habitus, oris, gestus, sententiarum, cantus oppositione, hinc Dicæopolis, illinc Lamachus, unus gaudens conviviis, alter lugens prælia.

Contingebat etiam ut necessitate ipsa fabulæ adduceretur illa canentium responsio, quam necessitatem non parvus festivitatis lepos consequitur, nec piget sane audientes

1. *Pax*, 570. — 2. *Nub.*, 1154 sqq. — 3. *Av.*, 1373. — 4. *Thesm.*, 776.— 5. *Nub.*, 709. — 6. *Av.*, 1337, 1410.

Mnesilochi et Euripidis, unius Andromedis, alterius Persei nomine, fabulam fabulæ insertam agentium et e contrario canentium.

In his actorum cantibus non affirmaverim ardere maxime vim æstumque lyricum, qui non magniloquentia aut splendore sententiarum eminent : sed celeres, lepidi vivideque sunt colorati.

Nec multum colore et natura differunt ab alternatis actorum cantibus alternati chorum inter et actores cantus, in quibus et ipse chorus actor est. Plurima sunt horum genera. Nam choro canenti aut canenti simul strophamque agenti intervenit actor aut recitans aut canens, a qua diversitate diversitas oritur, ut concertantibus cantu actoribus, numerorum et spectaculi. Cum illigatur auferendus, ut vas fictile, sycophantes, it reditque canens Acharnensium chorus, canentique et motus miscenti implicat ipse cantum motumque Dicæopolis, unde fervet scena[1]; nec aliter, cum ibidem epulis præparandis accingitur[2], aut alias rixantur Cleon, Agoracrites Equitumque chorus[3], aut vectes moliendo sese invicem incitant Hermes, Trygæus et Agricolæ[4]; nec risu sane nec sale caret illud Philocleonis e fenestra gementis cum choro infra indignante, quod in cantus evadit, colloquium.

II.

Chori carmina omittimus quæ non lyrica sunt, sed iambica; quæ chorus, coryphæo interprete, cum actoribus colloquitur, non ipse voce sua canit. Hos etiam iambos chori aliquando tetigit lyra, ut cæteros, si quidem tota fabula impressum a lyra aliquid habet, quod diximus. De his igitur iambis hactenus.

Cantica multo plura sunt : chori canere est. Bacchus non

1. *Ach.*, 929 sqq.—2. Ib., 1008 sqq.—3. *Eq.*, 911 sqq.—4. *Pax*, 459 sqq.

solum plurimis gaudet cantibus, sed etiam continua serie alios ex aliis serentium : ideo aliquando chorus, neque canendo neque se movendo fessus, novos numeros nectens, novo æstu inflammans omnia, par strophæ et antistrophæ pare altero sæpius, tertio nonnunquam excipit[1].

Nec negaverimus primum lyram, iambos aliquando occupantem, in carminibus etiam suis aliquando sopitam cessare et subsidere; non sine causa. Choris tragicis idem fere omnibus spiritus, sublimis et grandiloquus, idem color imaginibus splendens, idem sententiarum contextus seu ad omnem vitam et sapientiam seu ad singularem fabulæ eventum pertinentium. Comicus chorus multiplex et mutabilis est, jocosa pro severis mutans, levia pro gravibus, citatissima pro remissis, comicæ conditioni congruus, quæ est miscendi omnia, ridiculi causa, et contraria, unde risus eliciatur, ad offensionem opponendi. Hæc inter occurrunt plura quæ lyram non excitant nec ab ea se sustineri volunt, sed ipsam in jocos detrahere. Præterea tragicus chorus, diu sepositus, rite solemnis prodit ad concludendas quasque fabulæ partes; comicus autem occupata scena dominatur, homo inter homines versatus, inter ridiculos ad risum promptus, inter altercantes ad rixam, pedes tunc magis quam alatus, eaque, ob rerum occasionem, breviora canens cantica, in quibus nihil pæne vibrat, nihil micat : imo in cantibus etiam per stropham antistrophamque dispositis, etiam in hymnis et dithyrambis lyræ domicilio, pauca interdum lyram sonant. Sed et horum, ubi nihil sonat, breviorum canticorum simplicitati et tenuitati subest levis aculeus et arguta gratia[2]; et in aliis carminibus, satiræ potius quam lyræ cognatis, ubi, e fabula aut aliunde sumens quos discerpat vates, non in sublime ferri cogitat, sed terræ adrepere, nec ad Deos evehitur canendos, sed homines insequitur flagello urgendos, inest acerrima vis ridendi et

1. *Thesm.*, 614 sqq.; 254 sqq.—2. *Eq.*, 616 sqq.; *Lysistr.*, 1040 sqq., etc.

mordendi, quæ ad lyram quoque pertinet, testibus illis lyræ principibus, Archilocho atque Simonide.

Carmina quæ tota lyram spirant referuntur ad Deorum laudes, ad pietatem in patriam, ad ruris delicias, ad cætera denique quibus eriguntur animi nostri aut exsultat pectus : hæc autem omnia, ut in comœdia, lyram simul et comœdiam redolere debent. Singula recensebimus.

1°—A Baccho principium. In scena, id est Olympo suo, epulis suis accumbit et in risum inexstinctum neque humanum solvitur, qui musam ipse suam habet. Nequicquam enim ibi gulosus, timidus, ridicule post sacerdotem suum latitat, ridicule Dioscuros invocat, facit omnia serviliter pro divinitate[1] : personas reverentiæ, poetam numinis, fabulas omnes πότου τοῦ λίαν πότου[2], id est sui ipsius implet. In nulla non vino libatur aut epulis sacrificatur; ubique gula et ebrietas, si non ad illam Pherecratis enormitatem scyphos in capacitatem navium amplificantis, ad æstum vere lyricum ardent. Vino *divites, victores, felices* nos fieri prædicat Baccho pius, ut sapientia stoicus; vino *irrigat mentem*, si lepide dicere vult[3]. Vinum fons omnium est deliciarum : Baccho primum gravissime implorato, Diceæopolis « Bacchi amicum, comessationum socium, noctivagum, adulterum » Phallum rogat secum velit ebriare[4]; nec aspernatur Bacchus fabulæ inscribi nomen Τριφάλλης[5]. Ob vinum, incensis vitibus, effusum Acharnenses negant se Bellum posthac mensis ad Harmodium canendum invitaturos; ob vinum servandum φιλαμπελωτάτην[6] Pacem, Veneris Gratiarumque sociam, invocant, precanturque ut ea sibi nubenda ab Amore aliquo rosis coronato adducatur : vinoque simul instincti, a cantu multa suavitate, dum incipit, condito, prolabuntur ad obscenos primum jocos, mox ad gulosam lætitiam, non sine lyra admirantes canen-

1. V. *Ran.*, passim. — 2. E Cratini Πυθίνῃ. — 3. *Eq.*, 91 sqq. — 4. *Ach.*, 247 sqq. — 5. V. fragm. 458-469. — 6. *Pax*, 308.

tesque quam *coquino, scito cœnatorioque more* omnia ad epulandum digerat Dicæopolis[1], nam, ut canit Trygæus, « Strenue comedendum est, non frustra maxillæ movendæ utræque, nec alborum dentium usus est nisi manducantium[2]. »

Hic est comissator Bacchus inter helluones *sartaginis amicos*[3], vinolentos. Alias saltator est duxque chorearum in roscidis pratis, myrti coronam quatiens circa caput, inter mystas quater in dithyrambo concinentes :

Ἴακχε φιλοχορευτά, συμπρόπεμπέ με[4].

Alias saltator idem est montanus et hederifer inter Nymphas :

Χοροῖς τερπόμενος,
Κατ' ὄρεα, Νυμφᾶν,
Ἐρατοῖς ἐν ὕμνοις
Εὔϊον, Εὔϊον,
Εὐοῖ ἀναχορεύων·
Ἀμφὶ δέ σοι κτυπεῖται
Κιθαιρώνιος Ἠχώ,
Μελάμφυλλά τ' ὄρη
Δάσκια, νάπαι τε
Πετρώδεις βρέμονται·
Κύκλῳ δὲ περί σε κισσὸς
Εὐπέταλος ἕλικι θάλλει[5].

Idem deus est? eadem lyra?

Bacchus, Ceres, Minerva, Neptunus, cœli lyræque societate conjuncti, in theatro dominantur : Jupiter Olympo suo plerumque relinquitur. Baccho Ceres Eleusin suam aperuerat, Cereri Bacchus theatrum suum; ambos Minerva Neptunusque in urbem suam invitaverant : quatuor in scenam conveniunt, plaudente populo, canente choro, adstante Bacchi sacerdote.

Minerva igitur in theatro Bacchi, in templo Cereris semper adest, carminum chororumque particeps[6]. Eam celebrant invocantve sacra agentes, eam profana; eam viri, eam feminæ;

1. *Ach.*, 971-1017. — 2. *Pax.*, 1306. — 3. Qui titulus (Ταγηνισταί) est deperditæ fabulæ. V. fragm. 413-445. — 4. *Ran.*, 324 sqq. — 5. *Thesm.*, 987 sqq. Adde *Nub.*, 603 sqq. — 6. *Thesm.*, 1136 sqq.; *Ran.*, 377 sqq.

alii ut cum Victoria comite adsit certaminum civilium lyricorumque adjutrix[1]; aliæ, ut acropoli, arci suæ, femineoque generi a senibus comburendo ferat opem, ferat « galeata, cristata.... aquam[2].» Primas Minerva secundum Bacchum partes in cantibus sibi vindicat, illum theatri principem, ipsa urbis *regina*, *tutela*, *clavigera*[3]. Ceres autem et Proserpina, si in fabula severioris aliquid inest religionis, sæpius adorantur, ut in *Ranis* et *Thesmophoriazusis*; Neptunus, si civile aliquid spirat et masculum, ut in *Equitibus*.

Hæc est advocatorum sæpius in choros, alias una, separatim alias, Deorum dearumque selecta manus, non exclusa cæterorum, sed rarius et auxiliorum in morem coacta cohorte, quæ est « Olympiorum Olympiarumque omnium et Pithyorum et Deliorum et reliquorum[4] ». E quibus invocatur Jupiter, quia Jupiter nominatur; Mercurius, quia pastoralis est ludorumque amans; Pan, Gratiæ, Nymphæ, quia huic sunt comites; Nereides, quia Neptuni sociæ; Oreades, quia Nereidum sorores; Apollo ob lyram, Diana ob fratrem. Nec Junonem quæ *claves nuptiarum servat*, nec Calligeneiam, nec Terram *juvenum altricem* omittunt feminæ[5]; nec Lycum Philocleo, quia lacrymis lamentisque reorum delectatur; nec Apollinem Bdelycleon, vestibulorum custodem, ut mores patris mitiget; nec Dianam Lacones cum Minerva χαλκιοίκῳ et Tyndaridis[6]; nec Musas mystarum chorus Æschylum Euripidemque judicaturas; nec Hymenæum quicumque chorus conclusa per nuptias fabula gaudet.

Hymnos, preces, pæanas, dithyrambos, permixta verborum, numerorum colorumque varietate, indiscretos confudimus : quorum diversorum generum, aliorum alia invadentium, ne Græci quidem, reclamantibus philosophis vatumque principibus, modos finesque servaverunt[7]. Omnibus cæterum

1. *Eq.*, 581. — 2. *Lys.*, 341.— 3. Κληδοῦχος, *Thesm.*, 1142.— 4. *Thesm.*, 331. — 5. *Thesm.*, 295 sqq.; 947 sqq.— 6. *Lys.*, in fine. — 7. V. Wagner, de *Ranis* (Bothe, t. III).

est canendi similitudo, quæ e natura carminis illius decurrit. Nam Deum homo quoties invocat ut adsit, aut quasi adeuntem adorat, coram videt et alloquitur. Hinc illa continua facta, sive a precantibus, sive a laudantibus Deos, Deorum interpellatio et in precibus et in hymnis, quos voces pæanarum aut dithyramborum aut alio nomine, nihil ad rem. Deum autem illum cum ipse precans adis ut precanti adsit, adis in domicilio stantem suo, Jovem in Olympo, Cybelen in Ida, Dianam in Epheso, Minervam in acropoli : tum sive ad eum invocans ascendis, sive ad te invocatus descendit, adest insigni aliquo proprio declaratus, Dionysus thyrso et molliori ore, Minerva galea et serena fronte, Apollo lyra et flava coma, Diana pharetra castoque vultu, Jupiter fulgure et supercilio. Ergo quem colit Deum nominat homo, nominatum videt, videt autem in sede sua sedentem et vis suæ signo decoratum. Sic fit ut, carmine si velit exprimere quod sentit et pingere quod videt, nomen Dei trahat semper ejus tum domicilii tum indicis nomen, et, repetito illo, hoc quoque repetitum redeat. Græci porro Deos fecerant omnia, Diisque suis ubique occurrebant precandis, adorandis. Hinc illa frequentissima Deorum invocatio, invocatorum nominatio, et cum nomine significatio : quæ quidem e ritu religionis communisque vitæ usu in litteras, ex his simul omnibus in comœdiam, migrarunt. Sive igitur in hymnis, sive in prosodiis, sive in partheniis, sive in pæanibus, sive in dithyrambis cyclicæ sacræque saltationi aptis, sive in epiniciis ad pompam dispositis, sive in aliis carminum lyricorum generibus, quæ plurima sunt, Deos precabatur aut laudabat poeta, eamdem semper viam sequebatur invocandi, nominandi, pingendi, quæ inter nisi votum aut laudem inseruisset, alterutrum addebat. His carminibus

. . . . facies non omnibus una,

si quid aut quem canant spectas,

Non diversa tamen. . . . .

si quo more: neque alius est tenor amplissimorum, quos Homericos dicunt, hymnorum, quam brevissimi cujusque cantici ad invocationem laudemve cujuslibet Dei ab Aristophane conditi. In utrisque eminent splendentque apposita illa nominibus divinis insignia, quæ verbis pressa et concisa sunt, imaginibus verò luxuriantia, bene definita ut animo et oculo concipiantur, densa et frequentissima quo grandior copiosiorque menti informetur Dei species, quoniam non hic agitur meditanda disserere per sententias, sed videnda pingere per imagines. Hæc communiter cum omnibus poetis habet Aristophanes, unice autem elegantem quemdam, cum brevitate, nec sine splendore et copia, nitorem;

> Ἀμφί μοι αὖτε, Φοῖϐ' ἄναξ,
>
> . . . .
>
> Παρνασίαν θ'ὃς κατέχων
> Πέτραν σὺν πευκαῖς σελαγεῖ
> Βάκχαις Δελφίσιν ἐμπρέπων,
> Κωμαστὴς Διόνυσος[1].

Hunc dithyrambum[2] cyclice circa thymelen concinente choro, nonne cum saltu et voce verbum unumquodque pictum et rapidum micabat?

Splendidam illam brevitatem, lyræ et cantui accommodatam, Græcis amicam, in luxum inanem dissolvi a turba poetarum, ægerrime tulit Aristophanes, et quos omni e mundo Deos excitare Græca musa solebat et interpellare, ab eis per inane inquiri, urgeri, fatigari. Turgidos ventososque poetas jocosa imitatione, quoties vacat, irridet[3]; irridet dithyrambos *e nubibus sumptos*, *aerios*, *cæruleos*, *alatos*, *vertigine contortos*[4]; irridet διθυραμϐοδιδασκάλους, vel quorum animis occurrit Trygæus, *in aere, ad colligenda procemia, volitantibus atque*

1. *Nub.*, 595. — 2. Ἀμφί μοι ἄναξ declarat incipientem dithyrambum; unde præludere nominabatur ἀμφιανακτίζειν, dithyramborum auctores ἀμφιάνακτες (V. schol. ad *Nub.*, 595, *Av.*, 1405; et fragm., 151.) — 3. V. *Nub.*, 335; *Av.*, 912.— 4. *Av.*, 1372 sqq; ἀεροδονήτους καὶ νιφοϐόλους.

natantibus[1]; irridet acervatim omnes ampullarum machinarumque irrequietos quæsitores et aucupes quos μηχανοδίφας appellat, Plato comicus δωδεκαμηχάνους [2].

Ab illis vero gravibus religiosisque carminibus quorum sinceritatem contra malos vanosque poetas defendebat Aristophanes, ipse ad jocosa, inverecunda etiam, Baccho jubente, lasciviens veniebat, adeo voluerat ille, vel severiorum Deorum periculo qui secum invocarentur in scena, suo etiam, omnia ad suum morem redigi, cum a Nysæo Delphicove vertice in Attica compita, a Nymphis ad homines migraret. Nostræ comœdiæ lyram, imo religiosam inseri, indecorum et nefarium satis et abunde videretur : quis enim ferret profana jocorum et petulantiæ vicinia sacra violari ? templum in pulpita transferri ? Apud Græcos vero, in scena, a sacris orta, Deos celebrari debitum Diis munus et acceptum erat. Quid dicam, celebrari fas esse ? Derideri etiam non nefas. Aristophanes Cereris adytum, viris inviolandum, palam cum viris, cum jocis pandit, viris spectantibus; in omnibus fabulis sacra instituit, in *Vespis* etiam ridiculum canis judicium auspicatura. Graviter quidem Cererem Æschylus, jocose vero æthera Euripides invocat[3]; a Cerere, in Cereris templo, adultera veste indutus Mnesilochus indecora efflagitat[4]; Pacem Trygæus, perfectis rite sacris, « venerandam reginam Deam, dominam chororum, dominam nuptiarum, » serius seria primum rogat, « Græcis concordiam, lenitatem, mitioresque sensus succosque animorum infundat, » mox ad gulam conversus, nec deficiente gulæ lyra, rogat « anseres, trochilos, copaidas anguillas, circa obsonia confertorum helluonum pugnam, Melanthiique præposteri, jam venditis piscibus, ejulatum et e Medea sua lamentum : *Perii, perii postquam viduatus sum anguilla in betis delitescente.* Hæc, o veneranda, precantibus nobis concede[5]. » Personis

1. *Pax*, 829 sqq. — 2. *Pax*, 792, et schol., ibid. — 3. *Ran.*, 892. — 4. *Thesm.*, 289. — 5. *Pax*, 973 sqq.

suis ipse accedit derisor poeta qui, vix salva Minervæ majestate, eos imitando cavillatur, quorum in ore semper est Dea, eamque sobriam Deam deterrima coriarii et isiciarii, plebis ingluviei lenocinantium, conversatione et contagione lædit[1]. Quam tamen quoties quantaque cum gravitate et suavitate invocavit! Nec accipit modo sed quærit occasionem illudendi et quæ ad Deos pertinent, et Deos ipsos. Rideat sane divinationem, inductis *Telmesensibus* Cariæ populo in interpretandis prodigiis celeberrimo, et divinos, inducto *Polyido* inter æquales suos notissimo; rideat superstitionem, proprie δεισιδαιμονίαν, in *Amphiarao*. Hoc licitum et fas. Sed nec ab *Heroibus* abstinebit, nec Dioscuris quos in mercatores videtur convertisse[2].

Inverecunde hæc omnia dicta credebantur? Imo lepide. Non nefas erat comicam musam, quanquam, non tragica minus, inter Deos precibus in scenam advocatos versantem, quanquam Deam ipsam, explicare suam Deorumque frontem. Horum majestatem cantibus cum pari dignitate rite veneratur, Minervæ hastam vibrantis, Neptuni terram concutientis, Jovis *superbi in nubibus considentis* [3]ipsa memor, nec tragicæ severitati dissona : sed plerumque, etiam non lapsa in hanc famosam nobis, notabilem utique, licentiam, hilare aliquid et remissius consequitur. Deos amat musa, sed renidentes ore, canentes, saltantes[4], hominibus largientes *opes, sanitatem, felicitatem, vitam, pacem, juventam, risum*[5]; orgia petulantia Bacchi, *pura* Cereris amat, in quibus possit *multa ridicula*, *multa seria* dicere victricemque coronam ludo et risu comparare[6]. Ades, ait post Stesichorum Aristophanes, choreas exerce mecum, musa,

Κλείουσα Θεῶν τε γάμους ἀνδρῶν τε δαῖτας,
Καὶ θαλίας μακάρων·

1. *Eq.*, 1168. — 2. Fr., 295; in *Heroibus*. — 3. *Av.*, 727. — 4. *Av.*, 219 sqq. — 5. Ibid., 729 sqq. — 6. *Ran.*, 384 sqq.

Σοί γὰρ τάδ' ἐξ ἀρχῆς μέλει.
. . . .
Τοιάδε χρὴ Χαρίτων
Δαμώματα καλλικόμων
Τὸν σοφὸν ποιητὴν
Ὑμνεῖν, ὅταν ἠρινὰ μὲν φωνῇ χελιδὼν
Ἑζομένη κελαδῇ. . . . . . .[1]

Gratiarum igitur observantissimus Aristophanes, auctore Stesichoro, gaudet Minerva φιλοχόρῳ, Pace φιλεόρτῳ, Amore florido, Hymenæi auriga, Jovis Junonisque pronubo[2]; feminis manus per choreas connectentibus, pastoralesque invocantibus Deos[3]; salientibus ad lunam mystis Bacchóque indicantibus leviter hiantem puellæ tunicam[4]; virginibus propter Eurotam, Ledæ filia duce, effundentibus comam; tota vitium, ficuum, stirpium copia receptæ Paci arridente[5].

Has igitur delicias Aristophanes precatur a Diis quos toties invocat et canit; hoc pingit colore religiosam carminum suorum partem. Nunc autem aliud est carminum genus huic proximum, sacrum quoque. Quocumque it Græcus, sacra aut sua aut nova instituit; quocumque poeta mente rapitur, Deos videt et salutat, comicus etiam : comœdiæ nil religionis clausum, nil nefas quod retegat, quod tentet :

Χάος ἦν καὶ Νὺξ Ἔρεβός τε μέλαν πρῶτον καὶ Τάρταρος εὐρύς·
Γῆ δ' οὐδ'ἀὴρ οὐδ'οὐρανὸς ἦν· . . . .[6].

dehinc rerum semina excutit, narrat primordia, mundi ætates numerat. Cœlum, terram, inferos spatiatur. Sequitur per stygia stagna ranas, palustrem fontium sobolem, Bacchum sub arundine canentes, arundineamque silvam Pani et Apollini servantes ; sequitur per inferna itinera mystas, Cererem recepturos Bacchumque, *luciferam orgiorum nocturnorum stellam ;* sequitur lusciniæ cantus per taxorum comam, oloris modos per nubila avolantes ad Olympum, ubi Deorum cho-

1. *Pax*, 779 sqq. — 2. *Av.*, 1737 sqq. — 3. *Thesm.*, 977. — 4. *Ran.*, 409. — 5. *Pax*, 598. — 6. *Av.*, 693.

ros deprehendit, Phœbo, Musis, Gratiisque utrique avi accinentibus, tripudiantes [1]. Convocat Nubes *roscidas agiles*que Deas a vitreis Oceani hortis, ubi cum Nymphis choreas agunt, a Mimantis nivosa rupe, a Nili fluentis, a Mæoticis stagnis, a vertice Olympi [2]; Aves convocat, in agrorum sulcis, in hortorum hedera, in vallium gramine, in paludum calamis, in marium tumido dorso aut latentes, aut depascentes, aut garrientes, aut vagabundas [3].

Divinum igitur et aerium aliquid ideoque lyricum spirat in omnibus Aristophanis fabulis : nulla sine Deis, nulla quæ non laxet Olympum, Deos novos aut recepturum aut daturum. Deæ sunt Nubes, a Diis, undecumque oriuntur, ortæ, quæ, ni sacra obtineant, vitibus oleisque se abfuturas, aut importunas adfuturas, minantur [4]. Deæ sunt Aves, et quidem omnium antiquissimæ, a quibus reverendis, invito illo « ab Jove principio, » omnia homines auspicantur; quibusque, Pisthetæro auctore, *non in lapideo quidem templo aureisve portis occluso, verum sub fructice et ilice habitantibus*, sacra instituent [5]. Deæ etiam quin sint Ranæ, quid abest, Apollinis Panisque consortes et auxilia ?

Sic transit comœdia a pæanibus dithyrambisque, a carminum rite sacrorum varietate, a publicaque religione, ad insolitam quamdam poetæ religionem, ejus ingenio ortam, a colludente musa creatam, repentinam, reverentiæ non nihil, risus non minus, consuetudinis et usus partem, partem admirationis inauditæque novitatis habentem. Cœli amans fuit Græcorum musa : hinc sibi vim multam et spiritum ducebat. Cum igitur carmina sua a Diis, seu communibus, seu his suis, ad aliud converteret Aristophanes, e cœlo quasi redux, cœli aliquid retinebat, cœlumque inter et terram sibi fundabat in fabulis nescio quam regionem, avium suarum urbi simillimam, quam veritati alienissimam, rationi

1. *Av.*, 209 sqq.; 769 sqq. — 2. *Nub.*, 269 sqq. — 3. *Av.*, 227 sqq. — 4. *Nub.*, 1114 sqq. — 5. *Av.*, 703 sqq.; 609 sqq.

fere absurdam, vi carminis struebat, Amphion alter, et carminis suavitate defendebat. In hac carminum parte, quam non ratione sustinere, sed φαντασίᾳ, unde nata erat, decorare solum poterat poeta noster, excelluit tum singulari inveniendi novitate, tum eximio inventa pingendi artificio. Nec equidem velim, reclamante Aristophane, ejus cantus, quibus verbis dithyramborum inanitatem irrisit, eisdem significare et pingere, et aligeros, versicoloresque dicere. Tanta tamen tamque vivida illa arguta ejus styli blandimenta, et quasi somnia, colorum apte dispositorum florent lætitia, ut carmina quasi vultum ducant et vita vigeant. In *Avibus* garrientia dicas, arboribus comantia, pennis picta; in *Nubibus*, roscida et ventosa; in *Vespis*, aculeata, ad pungendum arrecta et rigida; in *Ranis* tum arundinea et ebullientia, tum graminea et luna gemmantia. Hæc eminet e quaque fabula veluti oris similitudo; quam non molitur vates aut ægre consequitur pinguedine colorum et obstinata dicendi contentione. Liber contra et instabilis, hinc inde omnia, ut occurrunt, carpit: serpit chorus Nubium ab invocato Jove ad increpandum Cleonem, mox pro luna, mutatis per Metonem diebus et mensibus, queritur, et pro poeta, ni vincat, minitatur grandinem[1]; Vespæ tum juvenum ætatem et mores pungunt, tum præ superbia aculeos erigunt seque his fricant senes, tum aculeis Persas in Marathone urgent[2].

Ne dubites autem quin quodque Aristophaneorum carminum genus ad exprimendam aliquam, pro rei opportunitate, vultus similitudinem compositum vere sit, et ab ipso poeta hoc ex industria destinatum, nedum a legente somniatum, huic imitationi adesse musam ille precatur, musam, inquam, suam simulatricem, quæ mimum et pictorem refert. Quid musam? quot fabulas fingit, tot musas invocat; quot fabularum ora, tot musarum. Acharnensis musa *ignea* est,

1. *Nub.*, 565-626; in parabasi. — 2. *Vesp.*, 1060-1090, in parab.

flagrans, *acuta*, *favillæque* instar *subsilit*[1]. *Avium* musa, *silvestris* et *versicolor*, fraxinorum insidet ramis[2]. *Equitum* musam equitare libens crediderim, quæ equos loqui et navigare facit. Quarum quæque commentitiarum et fere magicarum musarum, ut insolita, ita non inopportuna fingit deliria, sed mixtis mirum in modum audacia et consilio, vel desipiens sapit. Ubi enim magis congrua fit, quam apud *Equites*, Neptuno adorato qui fudit equum et mare gubernat, equorum navigatio remigandique æmulatio, et triremium deliberatio? A qua melius, quam a *Vesparum* musa, simulabitur et canetur Athenarum per alvearia distributio?

2°

Παρθένοι ὀμβρόφοροι,
Ἔλθωμεν λιπαρὰν χθόνα Παλλάδος, εὔανδρον γᾶν
Κέκροπος ὀψόμεναι πολυήρατον,
Οὗ σέβας ἀῤῥήτων ἱερῶν. . . .
. . . .
Καὶ πρόσοδοι μακάρων ἱερώταται,
Εὐστέφανοί τε θεῶν θυσίαι, θαλίαι τε,
Παντοδαπαῖς ἐν ὥραις·
Ἦρι τ' ἐπερχομένῳ Βρομία χάρις,
Εὐκελάδων τε χορῶν ἐρεθίσματα,
Καὶ μοῦσα βαρύβρομος αὐλῶν[3].

Hæc canunt Nubes e cœlo in scenam delapsæ. Inter Deos enim versatus Aristophanes homines non obliviscitur, nec, ea somnians divina, quæ scimus, vigilare nescit, nec fictam modo Avium patriam, sed suam, nec Olympum modo, sed Athenas carmine celebrat, celebrat primum Deorum reverentissimas, dein fortes celebrat.

Lyra Græca patriæ et fortitudinis amantissima semper fuit: sed nescio an alias, vel in severis grandibusque poetis qui fortiter gesta cecinerunt, et ad fortia seu promptos ultro, seu tardos et degeneres accenderunt, gravior acriorque Aristo-

1. *Ach.*, 605 sqq. — 2. *Av.*, 737 sqq. — 3. *Nub.*, 299 sqq. — Adde *Georgi*, fragm. 162.

phaneo emicuerit cantus. Apud eum semper, etiam cives suos increpantem, patrium aliquid sonat et masculum viget. Neque ille tamen armatis, ut Tyrtæus, accinit et propugnaturis, nec epicum, Homeri instar, tentat quidquam, quod sustinet attollitque tanta aggredientem. Inter ludos et jocos, lasciva inter et scurrilia, non acie instructa, sed compotatione, non dextris ad vulnera, sed pedibus ad saltum arrectis, non apud Martem, sed Bacchum spirantes, nunc oratorio, nunc lyrico modo, ea fundit ore quibus exsultant animi et pectora ardent. Audi indignantem quod apud clepsydram stet reus, illudente juvene, canus nunc, qui olim in Marathone *calidum virilemque absterserit sudorem multum* [1], aut, *si forte ceciderit, pulverem, se lapsum negans* [2], et *iram acrem bibens, labra momorderit, vir viro hærens* [3], ut ille Tyrtæi bellator. Audi rursus elicientem hostibus, Neptunum testatis, cedentium confessionem et gemitum [4]. Audi precantem patrius Neptunus adsit *æmulationi juvenum in curribus splendentium*, vel adsit Minerva Victoriam adducens urbi *sanctissimæ omnium belloque et poetis excellentissimæ* [5]. Neque sic laudari ab eo sane pigebat Athenienses, neque ab æmulis et hostibus Laconibus sese ipsos laudantibus; neque imperite Aristophanes, quos ad sanciendam pacem compellere instituerat, communium laudum vinculo jam consociabat, Marathone decorans Athenienses, Laconas autem Thermopylis ubi *tanquam apri exacuerant dentem, florescente circa ora spuma et cruribus defluente* [6].

Facile intelligitur quam sponte vates in illum vere marathonium pæana eruperit, patriæ splendore plenus per hos festos dies ubi gestiebat urbs tota, clamoribus, luxu, advenis, Diis frequens, conscia vis suæ, triumphorum memor, strepente per cuneos refertos populo, adstantibus magistratibus, ara fumante, aperto cœlo, ardente sole, Jove diem hila-

1. *Ach.*, 693. — 2. *Eq.*, 572. — 3. *Vesp.*, 1083. — 4. *Eq.*, 609. — 5. Ibid., 551 sqq; 581 sqq. — 6. *Lys.* 1247 sqq.

rante. Chorus florentissimorum juvenum primorumque civium aderat in scena, in cantus et patrias laudes arrectus, atque ultro spiritus effusurus suos, ni vates ipse musam ex omnium pectoribus solvisset. Hic vero cedat Eupolidi Aristophanes ipse, si non oratione insuperabili, at inventione, cum ille olim induceret Atticorum Δήμων, Atheniensi coryphæo, chorum, excitatis a Nicia Solone, Miltiade, Aristide, Pericle, canentem :

Οὐ γάρ, μὰ τὴν Μαραθῶνι τὴν ἐμὴν μάχην,
Χαίρων τις αὐτῶν τοὐμὸν ἀλγυνεῖ κέαρ,

et ramos abituris afferentem :

Χαίρετε πάντες. — Δεχόμεθα.

Fortunatissima gens quæ Æschylum, Aristophanem, Eupolidem, Demosthenem edidit talia sonantes et audiit!

3° Non parcius autem malos objurgat quam bonos laudat Aristophanes. Qua in parte infrenata ruit licentia. Hanc irrisionem, multimoda hæc ludibria vindicata et arrepta fuisse a recitatoribus personis, iambi Archilochii hæredibus, æquum est ; comœdia enim in monendis purgandisque, si licet, ridiculo et pudore hominibus tota est, neque asperitatis in conviciendo festivitatisque inops est aut curta : sed lyram, a Minervæ laudibus Dianæve casto nomine recentem, Cleonymo, Pausone, et cinædis resonare, satiræ contagione insanire, musæque pedestri, e via sordidæ, in arcem suam ut evehatur, alas addere ; hæc ne stupeamus, meminerimus chorum comessatorem primum, Deorumque simul laudatorem, hominum simul objurgatorem, dum urbem vicosque pererraret, qualis nascens fuerit talem duravisse cum in pulpita eveheretur, ideoque duplicem quidem ostendere vultum, divinum hunc, humanum illum, sed unam tenere lyram, quæ divinum eadem humanumque sonet, nec ea dividat, sed, si libeat, conjungat. Hac semel facta musarum ambarum, unius sacræ, alte-

rius profanæ, obscenæ etiam, concordia, nulla inter eas lis est : ut quæque occupat lyram, tenet, si vult, totam, si altera subit, communiter divisam, tum alteri, cum desiit, dat habendam. In parabasi satira, seu per epirrhema et antepirrhema recitatur, seu per stropham et antistropham, si potiores eas habet, canitur et saltatur ; nusquam ei certa domus. In secunda parte fabulæ, ubi chorus solet diu tacere sepositus, subitus aliquando ad cuneos vertitur, malitiosa cantica intorquet, reduxque in stationem rursus silet. *Avium* chorus ter fabulam rumpit, Cleonymum primum et Orestem prædonem, mox Socratem, deinde sycophantem illudens [1]. Neque ratio habetur a poeta loci neque chori. In inferis mystæ Deorum laudes intersecant jocis ; imo Æschylo et Euripide concertantibus, utriusque disputationi seriæ ridiculam conclusiunculam adjicit, sat urbane, divine minus joculans Bacchus.

Aristophanes, non salibus solum, sed obscenitate etiam condit risum, existimans scilicet scortatorem, lenonem, et si quis inaudita moliretur Græcorum flagitiorum miracula, ut ille ingeniosissimus fœdæ novitatis exquisitor Ariphrades [2], non nisi nominibus imaginibusque vitiorum suorum bene refelli posse. Clara hæc crudaque dat canenda vocibus, accinenda tibiis, omni gesticulationi demonstranda, omni apparatui chori illustranda, miscetque, nulla aliquando necessitate inductus, nulla etiam festivitate excusatus, delicatissimis carminum leporibus hymnisve sacerrimis [3].

Hæc pars satiricæ lyræ, privatam nequitiam notantis, omnino, ut æquum est, defloruit : ibi Aristophanem dixerim, ut ipse Cleonem dixit, ubique volitare ut *omnibus floribus corruptelæ insidat* [4]. Publicos quoque mores, reipublicæ regimen et rectores, duces, oratores, τοὺς στασιάζοντας καὶ βουλομένους τινὰς εἶναι [5], ut per iambos, sic per lyram carpit,

1. *Av.*, 1470, 1553, 1694. — 2. *Vesp.*, 1275. — 3. *Ach.*, 989 sqq. ; *Av.*, 790, etc. — 4 *Eq.*, 404. — 5. Cratin. ; Δραπέτιδες.

satirico magis et oratorio modo quam lyrico : quam ob causam ea præterimus. Nusquam vero carmina satirica acuit magis et polivit, quam cum de litteris, de carminibus præsertim aliorum poetarum jocatur. Non lepide, opinor, irrisit macilentiam Cinesiæ, et Carcini filios appellavit *stercus*, Morsimumque et Melanthium, tragœdiarum scriptores, *Gorgones gulosas pisciumque perniciem* et mille alia[1]. Sed quanta cum varietate imaginum, quanto cum robore simul et lepore Euripidem carpit, Æschylum laudat nec non et in laudando risu leviter stringit. Nota sunt Æschylea verba *cristata*, *galeata*, *equitantia*, Euripidea autem *minuta*, *rotata* ; Æschyli *compagines*, Euripidis *assulæ* ; illius *supercilia flatusque gigantei*, hujus *lingua lubrica tenuesque morsus*. Non sat læta est hæc copia dicendi ? vis insuper *radicantia* unius, *pulverea* alterius verba ? Aristophanis enim, non minus quam duorum æmulorum, γλῶττα ἠγρίωται οὐδ' ἀκίνητοι φρένες. Sed mox mitescens, Æschylum hortatur ne ruat :

> Ἀλλὰ συστείλας, ἄκροισι
> Χρώμενος τοῖς ἱστίοις,
> Εἶτα μᾶλλον μᾶλλον ἄξεις
> Καὶ φυλάξεις,
> Ἡνίκ' ἂν τὸ πνεῦμα λεῖον
> Καὶ καθεστηκὸς λάβῃς[2].

Resedit quoque leniorque factus est musæ Aristophaneæ flatus.

Hæc si facete et utiliter *de litteris* ab Aristophane dicta judicamus, desiderandæ nobis sunt deperditæ fabulæ in quibus eas fusius disputavit : nulla enim de re frequentius questus est, quam de bello quo populares duces dominabantur, et de litterarum inclinatione ad mores corrumpendos. Hinc Προαγὼν quem traditur scripsisse ad Euripidem exagitandum, *Lemniæ* ubi Euripidis Hypsipylam, *Phœnissæ* ubi ejusdem *Phœnissas* jocose imitatus esse aut

1. *Pax*, 781 sqq. — 2. V. *Ran.*, 814, 895, 992.

carpsisse creditur[1]. Quantum porro salis et facetiarum esse debuit in Γηρυτάδῃ, ubi fingit poetas quos macilentos dicit et ᾅδοφοίτας, ab aliis poetis, convocata concione, legatos fuisse ut vates in Orco versantes viserent! Unde non Euripidis et Æschyli solum concertatio, sed plurimorum oriebatur, et multæ clamitosæque apud Plutonem turbæ, in quibus non ultimas habuit forsitan partes Cinesias ille οὐρανοφοίτης, ut scimus, simul atque ᾅδοφοίτης dithyrambicorumque vicarius in legatione[2]. Quo imprimis spiritu vigere et florere jucunditate debuit Ποίησις, si ibi Poesis ipsa, ut Musica in *Chirone* Pherecratis apud Justitiam de pravis musicis questa, aut *Musæ* Phrynichi sedentes judicantesque poetas Sophoclemque celebrantes, vultu adornata et loquens inducebatur. Quam læta horum et audax inventio! Quæ irritamenta lyræ! Quæ laudum gratia, aut qui ipsius satiræ lepos!

4° Qua autem vi et gratia hujus lyræ, quæ jam diversissima sonuit, factum est ut, in illa rerum omnium satira ubique luxuriante, undique exoriente, in tanta fœditate vitiorum, quorum uberrima copia pertinet ad urbanam vitam, quibusque Aristophanis carmina sæpius commaculata sunt, floreat aliquando ruris amœnitas? Neque ea rusticitas est poetæ quæsita, sed personarum ipsarum mera et sincera. Non ille fabulæ suæ inserit consulto pictas rurum imagines et in arcessitis immoratur descriptionibus, neque exclamat: *O fortunatos nimium....* monetve discere rusticitatem et non temnere campos. In ejus carminibus agrestis quædam bene olet morum ingenuitas, splendetque camporum frugibus virentium, succo tumentium, ligonibus fulgentium opulentia. Inter se colloquuntur, rident, canunt agricolæ. Hic gestit *vites alloqui, ficus, quas sevit junior, salutare;* ille, conspicere *tridentes rastros refulgentes ad solem, quibus bene separabuntur vitium ordines, myrtos, olivas, vio-*

1. V. Fragm. 74-82, 324-341, 470-475. — 2. V. Fragm. 198-241.

larium ad puteum[1]; alius, pacem et boves compellans, optat liceat sibi, *a bellis vacuo post humum fossam confractasque glebas, lavi, solvere vinum fæce et panem raphanumque mordere*[2]. Canit alius :

Ἡνίκ' ἂν δ'ἀχέτας
Ἄδῃ τὸν ἡδὺν νόμον,
Διασκοπῶν ἥδομαι,
Τὰς Λημνίας ἀμπέλους,
Εἰ πεπαίνουσιν ἤ-
-δη · τὸ γὰρ φίτυ πρῷ-
-ον φύει · τόν τε φή-
-ληχ' ὁρῶν οἰδάνοντ' ·
Εἶθ' ὁπόταν ᾖ πέπων,
Ἐσθίω, κἀπέχω,
Χἄμα φήμ', Ὧραι φίλαι· καὶ
Τοῦ θύμου τρίβων κυκῶμαι.[3]

Omnia denique ad Pacem :

Χαῖρε, χαῖρ', ὡς ἦλθες ἧμιν ἀσμένοις, ὦ φιλτάτη.
Σῷ γὰρ ἐδάμην πόθῳ, δαιμόνια βουλόμενος εἰς ἀγρὸν ἀνερπύσαι.
. . . .
Ὥστε σε τά τ'ἀμπέλια καὶ τὰ νέα συκίδια τἄλλα θ'ὁπόσ' ἐστὶ φυτὰ
Προσγελάσεται λαβόντ' ἄσμενα[4].

Sic e rustico corde robusta et alacris exit musa.

At enim crassa hæc est rusticitas carminis lyram immerito affectantis, neque a sulco ad puriorem spiritum naturæque rerum admirationem sese erigit poeta, sed ordinat vineas, ridicas figit, solem admiratur quia coquit vindemiam, et cum *non licet pampinare hodie neque glebas frangere, quia ager est uvidus*, rusticos suos domi recondit potantes et frusta leporinæ carnis cum vicino comedentes[5]. In *uvido agro* cur non facit gemmare rorem, solem nectere arborum umbras, distinguere sulcis splendentibus gramina, et avium cantus mane sensim excitari, languere ad meridiem, furente cicada, tum sub vesperum et somnum residere? — Hæc admiranti

1. *Pax*, 556 sqq. — 2. *Georgi*; V. fragm. 163. — 3. *Pax*, 1159 sqq. — 4. Ibid., 582 sqq. — 5. Ibid., 1140 sqq.

sane poetæ depingere non vacat, ut pote comico, apud quem personæ, ut solent, loquuntur. Agricolæ a fuligine fungisque lampadis pluviam augurantur [1], a suavitate ficus tempestatem anni æstimant, a sole horam conjectant; non rorem, sed uvas *gemmare* dicunt; non lapillos rivulorum, non florum oppositam varietatem, non montium, veniente aut decedente die, colores, perspiciunt et recensent, sed diversissimis nominibus ætates ficus, genera oleæ, intervalla vitium et ordines discernunt atque dinumerant : quæ quidem nominum rustica diversitas tota in vatis nostri carminibus abundat.

Hos cum sequitur sulcos scrobesque fodit Aristophanea musa, non tamen tarda irrepit, sed levis avolat, canitque aves, avium melos, avium domicilia et delicias :

> Εὔδαιμον φῦλον πτηνῶν
> Οἰωνῶν, οἳ χειμῶνος μὲν
> Χλαίνας οὐκ ἀμπισχοῦνται·
> Οὐδ' αὖ θερμὴ πνίγους ἡμᾶς
> Ἀκτὶς τηλαυγὴς θάλπει·
> Ἀλλ' ἀνθηρῶν λειμώνων
> Φύλλων ἐν κόλποις ναίω,
> Ἡνίκ' ἂν ὁ θεσπέσιος ὀξὺ μέλος ἀχέτας
> Θάλπεσι μεσημερινοῖς ἡλιομανὴς βοᾷ.
> Χειμάζω δ'ἐν κοίλοις ἄντροις
> Νύμφαις οὐρείαις ξυμπαίζων·
> Ἠρινά τε βοσκόμεθα παρθένια
> Λευκότροφα μύρτα χαρίτων τε κηπεύματα [2].

His lyræ leporibus temperat crudam quam vidimus rusticitatem, ducens cæterum e fabulæ argumento omnino commentitio incorruptum veritatis succum sinceræque naturæ rerum suavitatem, et, *velut apis, Ambrosiorum carminum fructum* [3] ; rara paucorum facultate, *quos æquus amavit....* quosque Homerus afflavit, et quæ non sunt mire fingendi, et quæ sunt vere pingendi, et utraque carminum colore decorandi.

1. *Vesp.*, 260. — 2. *Av.*, 1088 sqq.; V. etiam ibid. 227 sqq., 736 sqq; 769 sqq. — 3. Ibid., 749.

Hunc colorem, hanc ruris amœnitatem non sequemur in omnibus seu versibus seu versuum particulis ubi, quasi cursim, florent et viridant, vel alia agente poeta et ad alia properante. Quæ quidem pingendi gratia non Aristophanis unius est, sed Græcæ totius poeseos,

> Ἔνθα λίγεια μινύρεται
> Θαμίζουσα μάλιστ' ἀηδὼν
> Χλωραῖς ὑπὸ βάσσαις. . . . .

Utrum rure minus Græcis Latini gauderent, rure in pingendo, exceptis Lucretio Virgilioque, Horatio quoque, minus immorarentur, sit in incerto: Romana tamen mihi videtur magnificentia Sallustianos potius hortos multiformisque buxi miracula ostentavisse[1] et *columnas ultima recisas Africa*. Cicero in porticibus, in bibliotheca aut gymnasio suo Tusculano disputabat : Socrates, pede nudo, Ilissi aquam, platanos, umbras sequebatur colloquens cum amico.

5° Hæc tripartita, quam modo dixi, perfectissimi poetæ summa tota est in carminibus plurimorum nostrorum vatum qui amandi delicias, luctus, varias vices, furores aut blandimenta cecinerunt et per lyram explicuerunt. Illa autem materies veteribus, ob causas quas non hic locus est disputandi, curta fuit, comico nostro nulla. Omnia alia attrectavit Aristophanes plectro : illud prætermisit ; nam lepidissima et acutissima Myrrhinæ Cinesiæque contentio iambica est, et plus actionis habet quam cantus, neque hinc gratiam suam ducit ; cæterum ut excellentissima, ita unica est, neque usquam alias simile quidquam tentavit de amore vel cum amantibus exhibere Aristophanes. Nec est quod referam ad hoc genus Hymenæa quæ, clausularum instar, desinente fabula, florere sponsam, ardere maritum canunt : hæc e consuetudine aut religione defluunt, non ad verum amorem pertinent, neque

1. V. Plin. j., passim.

aliud crepant nisi exspectatam sponso voluptatem. Si quis enim, non frequentius, sed semel, in Aristophaneo carmine arsit amor, totus e corpore ortus ad corpus refertur, non sine flore verborum aut igni, sed obscœnitate etiam et sordibus conditior. Quid-ni? Anus et puella de juvene contendunt; mox anus ut a juvene, juvenis ut a puella ametur, cantu æmulantur. Neuter neutri impudicitia cedit, neuter lepore, ut in his versiculis : anus prior ad juvenem :

Δεῦρο δή, δεῦρο δή,
Φίλον ἐμόν, δεῦρό μοι
Πρόσελθε. . . . . . .
. . . .
Πάνυ γάρ τις ἔρως με δονεῖ
Τῶνδε τῶν σῶν βοστρύχων.
. . . .
Μέθες, ἱκνοῦμαι σ', Ἔρως. . .

Tum juvenis ad puellam :

Δεῦρο δή, δεῦρο δή
Καὶ σύ μοι καταδραμοῦ-
-σα τὴν θύραν ἄνοιξον.
. . . .
Μέθες ἱκνοῦμαι σ', Ἔρως. . . .
. . . .
Ἄνοιξον, ἀσπάζου με
Ὦ χρυσοδαίδαλτον ἐμὸν μέλημα, Κύπριδος ἔρνος,
Μέλιττα Μούσης, Χαρίτων θρέμμα, Τρυφῆς πρόσωπον,
Ἄνοιξον, ἀσπάζου με[1].

1. *Eccl.*, 952 sqq. V. ibid., 901-911.

CAPUT IV.

De Aristophaneo dicendi genere.

I. Summa Aristophanei dicendi generis. — II. Comparata breviter lyrica carmina Græcorum Aristophanisque cum lyricis carminibus Latinorum recentiorumque. — III. Comparata breviter lyrica carmina Aristophanis cum aliis Græcorum, præcipue Pindari. — IV. De canticis popularibus apud Aristophanem. — V. Pauca de collocatione numerorum in lyricis carminibus Aristophanis.

I.

Si nunc sinuosum Aristophaneorum carminum iter relegimus, mirabimur primum varietatem et rerum, quæ a bello ad litteras, et generum, quæ a dithyrambo ad idyllium, et colorum, quæ a facetiis ad severitatem, a sanctitate ad obscenitatem serpit. Nec ea colorum diversitate inter se solum fabulæ distinguuntur, sed in se una et eadem distinguitur; et si quæ in simili argumento positæ sunt, variatur et in his ejusdem rei color; nec, cum quatuor de pace fabulas instituere non dubitaverit Aristophanes, eæ similitudinis quidquam inter se habent, vel pariter, in *Acharnensibus*, in *Pace*, in *Lysistrata*, in *Georgis* etiam, et *Olcadibus*, si de his conjectare licet, viri et feminæ, pariter carbonarii aut viticolæ, pariter agricolæ et navicularii mercatoresque pacem seu requirunt, seu laudant[1], diversis ad eumdem omnes

1. *Ach.*, 971 sqq.; *Pax*, 530, 566 sqq.; *Lysistr.*, passim.

exitum viis properantes patriæ Bacchique causa, quem dicunt *Georgi*[1]:

Ἐν ἀγορᾷ δ' αὖ πλάτανον εὖ διαφυτεύσομεν,

Latine

. . . . ministrantem platanum potantibus umbram.

Quæ tamen varietas quanta fuerit non judicare possumus, deperditis Aristophanis XXXIII, forsitan etiam XLIII fabulis, ditissima carminum materie. In *Dætalensibus* enim chorus erat apud Herculem convivantium, cantu sane et Herculeam et Bacchicam vim spirantium; in *Babyloniis*, pistrinariorum molitorum; heroum in *Heroibus;* in *Senectute*, senum cutem, ut serpentes, abjicientium juveniliterque petulantium; in *Lemniis*, feminarum Lemnio more lascivientium; in aliis fabulis Ciconiarum chorus, Insularum, Navium, Tempestatum anni, vultus induentium. Adde *Anagyrum*, *Dædalum*, *Nioben*, *Danaides*, *Centaurum*, quæque aliæ fabulæ, passim jam a nobis nominatæ, ludibrium aliquod seu religionum, seu tragœdiarum polliceri videntur. Ab his omnibus qui fons omnis varietatis redundabat, quæ carminum vena! Qui poetæ spectantiumque stimulus!

Nunc vero, quanquam in tanta fabularum dissimilitudine, omnium lyra communiter aliquid sonat; nec contrarius verborum floret color. Quod breviter apparebit ex comparatione iambicæ primum, mox lyricæ partis. In Aristophanea oratione (ne singulas ejus virtutes longius enumerem, proposita lyricæ solum partis recensione) una imprimis exstat virtus. Inest enim robustum quiddam et compactum, nervorum sanguinisque plenum. Laxa et sinuosa est aliquando scenæ explicatio; pressa autem et conferta semper verborum compositio. Persona non nunquam, invito quasi poeta, effutit, cujus ille exundantem loquacitatem verbis densioribus premit: sententiæ, sive continuatæ in versuum longam seriem,

1. Fragm. 162.

sive divisæ in colloquium, sive decisæ ut versus versui aut particula particulæ respondeat, orationem alunt et implent, non inflant, stringunt, non dissolvunt. Aristophanei nôn sunt minuti versiculi, instabiles et elumbati, nec capite nec pede cohærentes, quales ipse in Euripide reprehendit [1], sed solidati et compaginati versus, quales non alius apud nos nisi comœdiæ nostræ princeps condidit, nil tragicum inopportune sonantes, quotidianum contra sermonem referentes, et tamen præcisi magis, ut carmina decet, et expressi.

Huic robori accedunt sane dicendi copia, incitatio, in rebus inflammandis vis, colorum, multo cum lumine, novitas varietasque, nitida florensque sententiarum expolitio, in ancipitibus rerum verborumque casibus audax felicitas, in mittendo ridiculo multa nunc acumina, nunc pondera, et festiva jocorum ubertas : hæc omnia cum adsint, proprium tamen Aristophaneæ orationis est versuum quam dixi compages et plenus solidusque tenor, quem semper retinet, non modo cum amplissime sine verborum spiramentis sententiæ explicantur, sed cum minutis verborum scintillulis versus micat et tela alia super alia vibrat. Quo in robore, quod nullam teretioris conclusionis affectationem admittit, nihil contentum est, nihil contortum, nihil anhelum, nihil præceps, sed vivida ubique libertas, ubique *flexanima atque omnium regina rerum oratio* [2]. Ideo magis mirum in lacertoso illo corpore tantum floruisse venustatis, omniumque dicendi leporum respersam esse suavitatem, quod proprium est horum, quæ recensemus, lyricorum Aristophanis carminum : neque hoc minus admirationis novitatisque habet, quam tantum saporis et salis stillare ex colluvie rerum quas in his comœdiis reperias inurbanarum et inficetarum, tantum acuminis ex hebetibus quibusdam pinguibusque jocis, tantum succi ex aridis nugis, tantum denique munditiæ e sordibus.

Si igitur Aristophanem cum ipso, iambicum videlicet cum

1. Ἐπυλλίων Εὐριπίδου, *Pax*, 532. V. *Ranas*. — 2. Pacuvius.

lyrico, conferas, illic lacertosum præcipue, hic lacertosum eumdem et venustum reperies. Si vero, primum ejus Græcorumque lyricum carmen cum aliorum populorum lyrico carmine, tum ejus lyram comicam cum cætera Græcorum lyra compares, multum eum ab illis differre, ab his non nihil, videbis.

II.

Religio subest omni Græcorum lyræ, etiam comicæ, etiam huic per fas et nefas ruenti. Quam religionem, multo etiam tristiorem et sanctiorem Hebræa tota mirum in modum spirat lyra, Latina vero nostraque, si pauca numero exceperis, minime. De Hebræa sileo quæ, diviniore mente afflata, in secretis Horeb aut Sinai culminibus regium pastorem longe supra Aonios montes non mediocri volatu extulit[1], cæterum pudibunda nimium nostris satyris intersit. Indorum vero lyricam poesim vix attingere ausim, ne ignotus inter ignota verser et alienis tantum oculis ac judiciis uti cogar. Satis sit ergo, honoris causa, vulgatum illud repetere, lyricorum carminum apud Indos, ut apud omnes fere gentes, duplex fuisse tempus, alterum natura expressum, cum et Deos et mundum canunt, quod *Vedarum* est, alterum autem arte temperatum, cum viros *lyra sumit celebrare*, jam terrestris facta, poesis, aut in scenam prodit et theatrali sermoni immiscetur, eo tamen discrimine quod non certum et assignatum in fabulis locum, ut chorus apud Græcos, obtinet, sed toties apparet lyrica vocemque tollit, quoties eam erumpens pectore affectus vulgati versus formam excedere jubet ac vere cœlestem linguam usurpare. Jam tandem apud Latinos Horatius Deos carminibus suis inserit, quia decorum est neque parum lyricæ pompæ confert; Fortunam non tam, religionis

1. V. Milton, I. — Vide de lyrica omnium populorum poesi recens summi viri opus : *De la poésie lyrique de Pindare, etc., par M. Villemain.*

causa, colit tanquam Deam, quam, veluti sine mente simulacrum, carminum gratia struit, uni nempe e poetis nostris imitabile : vix aliter Deos suos habet quam Bolæus Phœbum novemque sorores. Hanc porro solemnem carminum supellectilem nostri exceperunt, qui quidem plurimos veterum Deos sæpius, quam nostrum unum Deum, canendo usurpaverunt. Erudita enim et oratoria est Latina lyra, nostra quoque. Latini nostrique lyrici vates *operosa* fingunt carmina, sermonis potissimum curiosi, gaudentque, quod arduum est et labore multo vincendum, variis varia aptare numeris : neque me fugit quam vivo e fonte apud Malherbium sæpe, apud Racinium, in choris, vis carminis eruperit, quanto e gurgite et vis et copia carminum apud æqualium nostrorum quosdam exæstuent : apparet tamen lyram totam recensenti nostram, nostros poetas, si quidquam excelsius moliantur et animosius, sententiasque potius quam verba digerant, ratiocinari per carmina, causas agere lyra, argumenta nectere, utiliumque rerum sagaces et sapientiæ monitores, perorare. Græca vero lyra non disserit, sed canit, hominis pectus totum exprimit, non rationem universam interpretatur, neque æmulatur cum historia.

Lyrica scilicet nostra carmina ad recitationem aut lectionem accommodamus : Græci ad cantum, ad musicam, et quasi ad theatrum, si quidem carmina Pindarica canebantur saltabanturque aliquando in conviviis[1]. Nos solerter et diligenter amplificamus lyra sententiam verbisque incendimus, in imaginibus immoramur describendis, translatarum vocum continuationem perite sequimur, parce prudenterque audaciam verbi meditamur. Has non patitur moras impetus animi per voces canentium erumpens, nec vocum per auras avolantium fuga brevis : verba micant, consonantibus vocibus et tibiis, sententiæ sese invicem ur-

1. Ut conjectare licet e pictis vasis antiquis. — V. Magnin, loc. cit. ; Egger, Cours de la Faculté des lettres, 1855-1856.

gent premendoque eliciunt; imaginum cita fit descriptio, citus ardet color. Celeris et sobria est lyra Græca, cursim pingit omnia et illuminat carminisque tradit facem. Aristophanem vide e frondibus, ubi canens latet luscinia, per aperta cœli ad Olympum, ubi saltant Dei, ascendentem: ascensus quam levis et brevis est! Cum sermo ad cantus inclinat, calescentem properantemque facile intelligas stylum, voces tibiasque sopitas sensim excitantem, donec omnes una subito consonent. Præcipitior enim fit oratio, breviora verba, separata, densa tamen, nulla sine sono aut colore, nulla muta, nulla cæca : quæ tamen verborum non est oratoria cumulatio, sed lyrica eruptio[1]. Sic natum, sic viget lyricum carmen et vibrat; hæc est ejus *et venus et virtus*, hic ejus splendor, hæc habilitas atque alacritas.

Nec illi celeritati modus est, quia non e lyra modo, sed ex ipso Græcorum ingenio linguaque defluebat. Memorare inutile est quod omnibus succurrit, Græcos imagines breves et pressas concipere solitos, quæ cogitatione conciperent simul videre animi acie et verbis imaginari; sic instructam fuisse eorum linguam, copia verborum uberrimam, quia varia omni cum varietate formarum et colorum eis apparerent, simul ac rapidissimam et plurima paucissimis vocabulis non exprimentem magis quam pingentem. Quid paucissimis? imo uno. Referam Homerica quæ dicunt epitheta? Æschylea verba, luxuriantia quidem si formam spectes, sed pressa, si quidquid complectantur numeres, quæ quidem cur nobis luxuriare videntur, nisi quia in brevitate pronuntiandi densam nobis expandunt rerum silvam? Sed Græci non solum brevi verbi unius imagine quæ vident pingunt, sed quæ ratione cogitant, iis ora addunt, quod omnes faciunt, uno verbo, quod soli. Non consilia afferre noctem, sed ipsam esse εὐφρόνην dicunt; non obviam viris virgines advolare, sed esse ad viros eas ἐκπετησίμους[2]; sapientiam dicunt καλλί-

1. V. *Pax*, 571 sqq. — 2. Aristoph., frag. incerta, 14.

πυργον[1]; ὑπηνέμιον vocant, vel supra ventos latum, quidquid leve et vanum est[2].

Pingit igitur Græcorum vatum stylus, pingit lyra, vixque unum verbum emittit quo non exhibeat imaginem, vix versum unum quo non vel unam et alteram tabulam totam adumbret aut coloret. Sic Trygæus ostendit ardentes ad solem ligones, violarium ad puteum; *Avium* chorus Amorem alatum aurigam; sic *Acharnenses* Dicæopoli et Lamacho precantur

Τῷ μὲν πίνειν στεφανωσαμένῳ,
Σοὶ δὲ ῥιγοῦν καὶ προφυλάττειν[3]·

sic, in translationibus quoque, audax imago completur: poetam Aristophanes dicit nihilo deteriorem videri sapientibus

Εἰ παρελαύνων τοὺς ἀντιπάλους τὴν ἐπίνοιαν συνέτριψεν[4].

Quanquam autem breves simplicesque hujus modi tabulæ, justæ sunt et absolutæ. Cum Pisthetærus canit se suosque Avibus novis Diis supplicaturos, *hordea extensis manibus porrigentes et triticum*, non omittit præponere

Ἐκ ταῖσιν κομάροις
Καὶ τοῖς κοτίνοις στάντες[5].

adsunt igitur locus, res, personæ.

Nec minus arguta verborum fit collocatio, ut imagines ad verum disponantur, quam inventio ut ad vivum effingantur:

Ἔρως ὁ ποθεινὸς,
Στίλβων νῶτον πτερύγοιν χρυσαῖν, εἰκὼς ἀνεμώκεσι δίναις[6].

Quo ordine imago quæque oculos, ita verbum quodque locum occupat; neque hæc solers industria, qua verba regit Aristophanes, facilitati fluminique orationis nocet, cum tamen, ut pictor scite disposita colorum varietate rerum prospectum consulto moderatur, sic ad imitationem quasi colo-

1 *Nub.*, 1021. — 2. *Av.*, 695. — 3. *Ach.*, 1145. — 4. *Vesp.*, 1049. — 5. *Av.*, 620. — 6. Ib., 697.

rum ille verba prudens distribuat. Nusquam enim alias manifestior apparet cognatio poeseos et picturæ, nec quidquam a poeta pictum carmine reperias, quod non et pictor colore informare in tabula possit. Imo videtur non nunquam Aristophanes stylum direxisse ad exemplar tabularum fama cognitarum, aut saltem has mente vidisse, ut ad artis hujus similitudinem artem suam dirigeret : imitationem enim profitetur Amoris rosis coronati, a Zeuxide picti, et Heraclidarum supplicum, qui sunt Pamphili [1].

Has autem tabulas effingit poeta ad imitationem quidem picturæ, ad necessitatem vero lyrici carminis. Micante breviter atque avolante lyræ sono, splendeat oportet effigies brevis, neque compositione multiplex, neque multicolor, neque continuatione imaginum luxurians. Unam præcipuamque rei figuram eligit poeta, quam non describat delineetque magis quam exprimat et pingat : ab epico vate describitur ad pingendum continuanturque describendo imagines; dat lyra unius imaginis lucem magnam brevemque. Sic Pindarus :

Παρθένον κεδνὰν χερὶ χειρὸς ἑλὼν
ἄγεν ἱππευτᾶν Νομάδων δι' ὅμιλον·
Πολλὰ μὲν κεῖνοι δίκον
φύλλ' ἔπι καὶ στεφάνους [2].

Brevior hymni Homerici auctor :

. . . . λύγοι δ' ἀπὸ τηλόσε ἰ. πίπτον
Χειρῶν ἠδὲ ποδῶν · ὁ δὲ μειδιάων ἐκάθητο
ὄμμασι κυανέοισι [3].

Non aliter Aristophanes :

Αἴρεσθ' αὐτῷ πολὺ τὸ ῥόθιον, παραπέμψατ' ἐφ' ἕνδεκα κώπαις
θόρυβον χρηστὸν ληναΐτην,
ἵν' ὁ ποιητὴς ἀπίῃ χαίρων,
φαιδρὸς λάμποντι μετώπῳ [4].

Adde comica [5], venusta [6], graminea et amena [7]. Quarum tabu-

1. *Ach.*, 992; *Plut.*, 385; Cf. Æsch., *Eumen.*, 50. — 2. *Pythica*, IX. — 3. *Hymn. in Bacchum.*, 13. — 4. *Eq.*, 545 sqq. — 5. *Ach.*, 1156; etc. — 6. *Ran.*, 409; *Lysistr.*, 326; etc. — 7. *Thesm.*, 995; etc.

larum verbis sponte informandarum adeo facilis et prompta erat Græcis inventio, ut actores in iambicum, id est sermonem, si cum lyrico eum conferas, quotidianum, eas sponte inserere velit poeta, vel gravissimas, vel lepore non sine gravitate, vel faceto et ridiculo conditas[1]:

> Τῆς δὲ γυναικὸς μικρὸς ὁ καιρός· κἂν τούτου μὴ 'πιλάβηται,
> Οὐδεὶς ἐθέλει γῆμαι ταύτην· ὀττευομένη δὲ κάθηται[2].

Jam vero, quanquam citus fulget imaginum color, nunquam tamen, in illo splendore, a *simplicitate* poeta declinat. Poetices enim Græcæ, nec lyricæ minus quam tragicæ aut epicæ, quasi popularis est atque simplex vultus. Nostra lyra arduum aliquid et reconditum affectat, neque vulgo intelligendum vel violandum; sententias in quamdam veluti arcem evehit et in *templa sapientum;* nec nisi perpolitis litterarum usu animis se aperire velle videtur. Non illa lyræ Græcorum est superbia, non illa supercilia, non per abrupta ascensus, recessus per arcana. Aperta canit et omnibus percipienda, nec minus rudi opifici qui in chorum sese offert quam recenti e schola philosophorum viro. E medio populo, ex usu vitæ, ex agro ducit quas pingit imagines. Grandiloquus et splendidus est Pindarus, elatus et gravis, cum decet, Aristophanes, simplices tamen utrique. Homerus ostendit nobis opificam matrem colo parantem pueris cibum, aut regiam virginem fratrum vestes lavantem[3]: Pindarus matrem e lecto nudam exsilientem ut serpentes a nato arceat[4], aut virginem, rejecta tela, spicula torquentem in feras pecoraque servantem patris[5]; Aristophanes matrem, parvulos quinque liberos, quos vir in Cypro mortuus reliquit, corollis in foro, ubi venduntur myrti, nectendis ægre alentem[6], aut virgines propter Eurotam, Ledæ filia duce, ut pullos

1. V. *Ach.*, 682; *Eq.* 417; *Vesp.*, 1212. — 2. *Lys.*, 565. — 3. *Il.* XII, 433; *Od.* V, 57 sqq. — 4. *Nem.* I, 74 sqq. — 5. *Pyth.* IX, 33 sqq. — 6. *Thesm.*, 445 sqq.

equinos, quassantes comam et subsilientes[1]. Clara hæc sane omnibus et expedita, non e longinquo arcessita, non e latebris eruta, non ex alto deducta : quis tamen hæc vilia aut lyra indigna putet ? Quis neget leporem esse rusticæ illi viticolarum musæ, Deos precantium

διδόναι πλοῦτον τοῖς Ἕλλησιν,
κριθάς τε ποιεῖν ἡμᾶς πολλὰς
πάντας ὁμοίως οἶνόν τε πολὺν
    σῦκά τε τρώγειν,
τάς τε γυναῖκας τίκτειν ἡμῖν....
λῆξαι τ' αἴθωνα σίδηρον[2]....— ?

aut acumen illi simplicitati :

Ταῦτα μὲν πρὸς ἀνδρός ἐστι
Νοῦν ἔχοντος καὶ φρένας καὶ
πολλὰ περιπεπλευκότος,
μετακυλινδεῖν αὑτὸν ἀεὶ
πρὸς τὸν εὖ πράττοντα τοῖχον
μᾶλλον ἢ γεγραμμένην
εἰκόν' ἑστάναι, λαβόνθ' ἓν
σχῆμα....[3]— ?

Celeritati et simplicitati illi, quales diximus, adde venustatem, expressum habebis e Græcorum lyra quod ei proprium est et peculiare. *Dulce loqui, ridere decorum* retinet semper; gratia oris cum dignitate semper renidet, gratiam, vel cum grandia sonat, neque exuit neque obscurat. Majestatem et habuerunt et nominaverunt Romani : σεμνότης, μεγαλοπρέπεια, ad habitum pertinent, non ad verba. Cycnum ne Pindarus quidem ab Horatio se appellari velit[4], qui se ipse dixerit apem, apem scilicet non *per laborem plurimum carpentem thyma*, sed agilem, aeriam, igneam, imo sacram atque divinam, ut addidit Plato, ab ape ad poetam transferens quod a poeta ad apem Pindarus transtulerat. Florem igitur carminis ex omni circum undique vita carpit Græcorum lyra, splendidum quidem, sed simplicem semper atque

1. *Lys.* in fin. — 2. *Pax*, 1321 sqq. — 3. *Ran.*, 534 sqq. — 4. Hoc, nec nulla, quæ supra sunt, tenui edocta olim a professore nostro, *E. Havet*, in schola Normali.

venustum, et cum illa numinum ubertate implet sacrorum cantuum copiam, ea, e terra potius quam e cœlo nata, humana aliqua oris suavitate decorat magis quam à divino illuminat splendore aut majestate attollit.

III.

Hæc igitur tum Græcam universam tum Aristophaneam lyram a latina nostraque separant. Nunc vero, si, his omissis, in lyræ Græcæ orbe immoremur, eam videmus in principio specie et ratione unam, dein in duas partes divisam, quarum altera cum dramate juncta est, stat per se altera : illa est in choris seu tragicis, seu comicis, hæc in hymnis, dithyrambis, epiniciis, cæterisque carminum generibus, quorum tanta Græciæ contigit copia. Utriusque autem partis cum Aristophanea lyra comparationem quî suscipiamus, cum prior comparatio singulare opus reposcat et impletura sit, conferendis videlicet cum Aristophane separatim atque ex ordine Æschylo, Sophocle et Euripide, cumque illius canticorum varietate singulis quæ hi cecinerunt; posterior vero, unde majus quoque opus quam pro definitione nostri oriatur, nobis eruenda sit ex plurimis plurimorum vatum fragmentis, quæ tam curta et incerta ex perfectissimis carminibus superesse æternus erit luctus? Nostra ergo transire cogitur, ut ad necessaria properet, admiratio, et prætermittere heroïcum illum Æschylum, vere olympium Sophoclem, indefessum χορηγόν Euripidem. Animadvertere obiter sat erit quam certa appareat comicæ lyræ cum tragica cognatio, adulterina, si vis, cum una e dithyrambo, altera e dithyrambi phallica corruptione nata fuerit, certa tamen et vera : nam quidquid in tragico choro, spirat et in comico, neque hic minora illo, non alia fere aggreditur canenda. In utroque est religio, in uno constanter severa, in altero aliquando jocosa; uterque est masculo et patrio animo firmatus, neque minus excelso et forti comicus, quod notandum, quam tragicus; uterque ruris

deliciis plenus lusciniæque, in carminibus Græcis frequentissimæ[1], amans; uterque justi verique auctor, morum præceptor, tragicus vero sententiosa oratione pressior, et quasi delphicus, comicus malorum hominum derisione et increpatione magis quam præceptorum gravitate docens. Quoties tragicos poetas Aristophanes nominet atque laudet, quæ vocabula, quas versuum particulas ab eorum lyra, ut suæ germana, in choros assumat, quot et quibus eorum fabulis vel serius, vel jocosus alludat, e scholiis et indicibus[2] colligi facile potest. Nullos impensius prædicat quam Phrynichum tragicum qui e lusciniæ nemorosæ modis,

ὥσπερεὶ μέλιττα,
ἀμβροσίων μελέων ἀπεβόσκετο καρπόν[3],

et Æschylum, celeberrimum omnium quem canerent in conviviis, confragosum et κρημνοποιόν[4] juvenibus visum, viris antiqui moris probatissimum, nullis posthac in carminibus condendis superatum[5]. Hunc Aristophanes, ut chororum aliorum ex aliis sertorum continuatione imitatur in componendo, ita, in scribendo aliquando, verborum colore, robore et strepitu; nec minus *Avium* finem, adveniente Pisthetæro, altero videlicet Jove, implet fulgure et tonitru, quam Æschylus *Prometheum* suum desinentem; ejusdem usurpat Διὸς μακέλλην[6]; ab eodem depictam in eodem *Prometheo* Typhonis imaginem sibi succurrisse, cum in *Nubium Pacis*que parabasi vi vere Æschylea describit immanem belluam a se impetitam, Cleonem nempe, testis ipse est, hunc in *Equitibus* Typhonem appellans[7]. Æschylum quoque facete atque opportune in *Ranarum* quibusdam choris imitatur informatione vocabulorum illorum luxuriantium atque perlongorum, quæ in eodem carpit, quorumque ipse in iambica quidem parte, ridiculi causa, ut

1. V. Patin, *Trag.. gr.* III, 280. (1 ed.)
2. V. Recension. Dindorf-Didot. — 3. *Av.*, 749. — 4. *Nub.*, 1367. — V. Fragm. Aristoph., 204. — 5. *Ran.*, 1255. — 6. *Av.*, 1240. Idem Sophocles. — 7. *Eq.*, 511.

comicis omnibus, Eupolidi imprimis [1], mos fuit, prodigus vulgo, in lyrica solet esse parcissimus. Neque minus eum juvat commemorare Sophoclem, ab Æschylo facile secundum, *melle tinctum* [2], inter bona pacis redivivæ adnumerandum [3]. Nec non Euripidis, quem totum, lyricum vero potissimum, cavillatur assidue, *rotunditatem oris*, ut fatetur ipse, imitatur [4]. Quidni? Si Sophocli, Athenarum laudatori et ruris pictori in *Ædipode Colonæo*, se parem in quibusdam *Equitum Avium*que choris præstitit, parem ipse habuit Euripidem, nec minus Baccho satisfacientem, cum hic, ne alia enumerem, *Baccharum* suarum choros toto Dei numine impleret.

Hæc brevissime de copiosissima lyra tragicorum. Altera pars lyræ Græcæ multo etiam uberior fuit, cujus carminum, tum lectione, tum cantu in Græcia celebratissimorum, Aristophanes particulas non nunquam personis suis subjicit aut ipse imitatione usurpat. Ibycum, Anacreontem, Alcæum dicit harmoniæ succum et saporem instillavisse [5]; Lamproclis, Cydiæ, Simonidis dithyrambos cæterave cantica commendat a viris priscæ institutionis tenacibus cantata [6]. Carminibus ex Alcæo et Stesichoro desumptis Musas invitat in choros, Gratias dat vati æmulandas, hirundinem cæruleam veris nuntiam ponit in arbore, aut alcyones super fluctus rapit [7], in jocum quidem detorquens aliquando quæ ex Alcæo aut Anacreonte sumit [8]. Scolia si canunt personæ, Alcæi quoque et Anacreontis primum nomina et carmina [9], tum cæterorum invenis. Serpente lyra, scolia serpunt : incipit *Harmodius*, sequitur unum e στασιωτικοῖς Alcæi, non sine faceta hujus a serio ad jocosum mutatione; tum *Admetus*, e celeberrimis Praxillæ παροινίοις; dein Clitagora concludit [10].

1. V. Fragm. comic. (Didot). V. Audacissima exempla compositionis verborum in *Persis* Pherecratis, fragm. 2.— 2. Fragm., 231.

3. *Pax*, 531. — 4. Fragm., 397. Cf. e Fragm. Aristoph.; Εἰρήνη βαθύπλουτε.... (*Georg.*); e Fr. Euripid. Εἰρ. βαθ.... (*Cresphontes*). — 5. ἁρμονίαν ἐχύμισαν. *Thesm.*, 162. — 6. *Nub.*, 967, 1356. — 7. V. *Pax*, 775 sqq.; *Av.*, 1410, etc. — 8. *Av.*, 1372, 1410. — 9. Fragm., 2. — 10. *Vesp.*, 1225 sqq.

E lyricis autem poetis duos potissimum imitatus videtur Aristophanes, Archilochum et Pindarum. Archilochus princeps omnis satiræ, omnis ridiculi, e quo uno quasi multiplicato atque distributo Cratinus fecit chorum[1], canendi præterea magister, se comico semper nominandum, imitandum, exprimendum offerre debuit. Alia ejus usurpat Aristophanes jocosa[2]; alia hilária et sacra, ut, ex hymno in Herculem, τήνελλα καλλίνικε[3]; alia vere heroïca, ut πολὺν ἀφρὸν περὶ στόμα[4] quem cupide pingunt bellici Lacones, aut κυμάτων ἀγκάλας quas prætentat *sacer chorus*, civitatis monitor[5] : heroïcum autem minus de *parma non bene relicta* distichum ejusdem, Cleonymi vexandi causa, dat in *Pace* puero canendum.

Pindarus tandem adest qui lyrico carmini virtutis cumulum addidit. Ex omni Græcorum lyra dithyrambi, cyclica saltatione ab Arione instructi, mox ab Alcmane in stropham et antistropham evoluti, dein a Stesichoro epodo aucti, præcipuum locum obtinuerant. Epinicia vero, Pindari ingenio commendata, cum e toto Græcæ lyræ proventu sola nobis superfuerint integra, inde solum nobis constabit certa Aristophaneæ lyræ cum una alia apud Græcos comparatio. Prætermitto quod Aristophanes mutuatur a Pindari seu epiniciis, seu dithyrambis, seu aliis operibus, nunc figuram incipientis cantici[6]; nunc socraticum illud in *Nubibus* « Ὦφήμερε[7]; » nunc « ἐλασίβροντ' ἔπη[8]; » non semel, celebratissimas illas λιπαρὰς καὶ ἰοστεφάνους Athenas[9]; alias alia seu serio usurpata, seu facete detorta. Jam inde amborum carmen introspiciamus.

Inter utrumque illud, quanquam in dissimili lyræ genere, convenit, quod diriguntur ad repræsentationem, imaginum delectu et partium distributione, ad gestum motumque invitantibus : in uno continua hæc est repræsentatio, in altero colloquiis et cætera fabulæ actione divisa, in utroque saltatione, cantu et organis adjuta. Inclusa et pressa esse videtur

1. Ἀρχίλοχοι. — 2. V. *Ach.*, 120. — 3. *Ach.*, *Av.*, in fin. — 4. Cf. *Lys.*, 1257. — 5. V. *Ran.*, 704. — 6. V. *Eq.*, 1263. — 7. 223. Cf. Pind. Fragm., 128. — 8. *Eq.*, 626. Cf. Pind. Fr., 108. — 9. Pind. Fr., 46.

in ode Pindarica vere fabula, cujus quædam partes vel scenæ carmine explicantur et a cantoribus fere aguntur, quædam autem vix adumbratæ et implicitæ obscurantur atque silent. Quarum unas actorum partibus dividite, alteras dilatate atque extendite : drama habebitis. Drama autem tragicum aut comicum comprimite, recisis personis : habebitis oden.

Hac coeunt Pindaricum Aristophaneumque carmen : qua autem distant, plura nunc dicenda. Vix illud necesse est adnotare primum, quod jam, nisi dictum, ubique quasi respersum sapere est, videlicet in omni Aristophanis carmine, vel gravissimo aut sanctissimo, quemdam inesse ridiculi satiræque vel innocuæ gustum, quo careat omnino Pindarus, in eodem rursus aliquem, quo hic abundet, ad Deos respectum et quasi divinitatis odorem.

Cum caneretur agereturque Pindaricum carmen, suspiciente populo, aris fumantibus, congestis donis, adstante victore aut equo aut curru, nihil arrectos aures oculosque spectantium dividebat aut alio interdum diducebat : tum late effundebatur flumen eloquentiæ a quo exundat stropharum, antistropharum et ἐπῳδῶν ubertas, quarum longa atque ampla explicatio pompam implebat et splendore carminum incendebat.—Aristophanem vero carmina ad opportunitatem fabulæ accommodare, dividere, alia alias serere oportebat, plura brevius concludere, neque in hanc amplitudinem continuare.

Illo suo libero impetu abrepta Pindarica musa incitate ferebatur ; atque his undique prostantibus ædibus, Deorum signis, victoriarum insignibus, vere divino succussa spiritu, Diis propior, homines tangens ala, per saltus præcipitiaque carminum avolabat. Æquabilior erat Aristophanei carminis tenor. Confluens in theatrum populus heroïca minus, humana magis curabat, quanquam vagi per insolitas cœli vias Aristophanis plausor, nec quid Eurysthæi aut Æaci memoria, sed quid Periclis tempore fieret requirebat, vestigiisque Musæ propius insistebat. Turbam enim ex inferiore loco suspicien-

tem, oculos suos spectaculo implentem, musica aures, Pindarica musa e superiore loco quasi vaticinando docebat; ex æquo spectantem populum Aristophanea ex æquo monebat musa de suis ipsum negotiis, non sine religione, sed multo quoque cum ridiculo. Ante ædes Pindarici clientis ad mirandum et plaudendum concurrebant; in theatrum, ad judicandum, non sine questibus poetæ, si severiores essent, laudibus, si benevoli, blanditiis, ut faverent [1]. Si quid minus illi intelligerent, prætervòlante celerius carmine, adjutrix et concors carminis musica animos erigens sustinebat et rapiebat : horum vero theatri sessorum judicio musica non obstrepebat; nec sonitum magis quam verba, aut organorum canorem quam facetias et verborum acumina audire cupiebant, dum Pindarici spectatores a Pindarica repræsentatione admirationem carminum et impressum oculis spectaculi splendorem imprimis referrent, verborum vero certiorem memoriam si retinuissent, hancex insperato se lucratos esse existimarent.

Carmina a Pindaro intexta, veluti panathenaïcus ille Minervæ peplus nobilium nominum varietate pictus, e terra ad cœlum educta et explicata, exstincta pompa, servanda recondebantur a celebrato viro, domesticus suî suorumque decor, a vate, publicus litterarum decor, edebantur legenda, canenda etiam aliquando in conviviis, et saltanda : sed ad talem repræsentationem sane non sine mora et opera docebantur; imo, si Eupolidi querenti credendum est, obsoleverat jam, apud æquales ejus, mos Stesichorum, Alcmanem, Simonidemve canendi, Pindarusque, vulgi ἀφιλοκαλίας causa, silebatur [2]. Canenda vero in theatro, canenda in domibus et viis cantica a comico vate componebantur : separata inter se, varietate rei numerorumque alia ab aliis distincta, per se

1. V. parabas. *Eq.*, *Nub.*, *Vesp.*, *Pacis.* — 2. V.Eupol. (Εἱλῶτες), de Stesichoro aliisque; forsan, ibidem quoque, de Pindaro (apud Athenæum, I, 1).

constantia quæque, terminati completique argumenti speciem verborum melorumque comprehensione præbentia, audientium animos invitantia, nunc rerum hominumque usu aut fama cognitissimorum nominibus atque ludibriis, nunc contra inexspectata salium novitate, simulque habili metrorum cantusque consociatione et cum sententiis congruentia, cantica comica memoriam sponte subibant, unde sponte avolabant in labra. E scena in cuneos, e cuneis in urbem totam exsilientia undique discurrebant. Ut tragicorum[1], ita comicorum vatum lyra in conviviis circumferebatur, neque minus frequentia usus nobilitata erant carmina Cratini[2] aut Aristophanis apud æquales, quam apud eosdem posterosque simul Athenæ a Sophocleo carmine laudatæ aut ab Euripideo servatæ.

IV.

Absit autem omnis suspicio cognationis, aut veteris comœdiæ, ob rei indignitatem, cum scenico genere quodam infimi apud nos ordinis, in quo soluta oratio interdum, neque certis intervallis, neque certis de causis, miscetur cantu, quodque nec sat salis nec sat rationis habet; aut lyræ scenicæ, ob rei dissimilitudinem, cum cantilenis nostris in quibus certa ratione revolvuntur non semel metra et numeri, repetiturque toties eadem verborum conclusio. Aliud enim spirat sonatque prisca comœdia, aliud comœdiæ nostræ genus trivialibus adornatum canticis, neque omne tulit punctum Aristophanes si ultimum cantici versum exacuerit risu aut sale resperserit. Cæterum manifestum est comica carmina opportunitate, collocatione, sententiis, forma dicendi tota, ad popularem famam popularisque cantus frequentiam esse composita. Omitto quod primum aliquot, perpauca quidem, Aristophanis carmina usitatissima illa apud nos in theatro et in canti-

1. *Nub.*, 1367. — 2. *Eq.*, 529.

lenis clausulæ repetitione terminantur [1]; dein plura, si non in eadem verba cadunt, in eamdem certe cadunt dicendi formam et speciem, quæ est revolutæ conclusionis quasi adumbratio [2]; postremo plurima, non rei quidem sed numerorum paritate, inter se e stropha ad ἐπωδήν respondentia, memoriam juvant cantumque alliciunt. Certius illud indicium : Aristophanis canticum, verbis minutum atque habile, presso it agmine; agilis ad finem cito venit pennata sententia, desinens missili acumine vibrat, subsistitque. Canticorum illorum diversissima sunt genera, distinctissimi colores, idem tamen tenor, idem flexus, idem exitus, eadem, in fine, sententiæ sive acutæ, sive delicatæ, sive facetæ jaculatio. Haud aliter, ne minus oculis popularibus adhæreant quæ struit quam auribus quæ canit, breves fingit imagines, pauca et simplicia eligens rei cujusque quæ exstant insignia, et picturæ instar [3] scurrilisque artificum nostrorum styli personatas belli, pacis et cæterorum effigies delineantium, repræsentat Cleonem et Brasidam quasi duo bellici mortarii pila, varias urbes e vectibus, Pacis liberandæ causa, pendentes varieque enitentes, Abundantiam a vinitore ductam, Populum medium inter coriarium et isiciarium, quarum imaginum, in quibus est tota fabularum singularum summa, brevis est quasi jaculatio et facilis memoria.

Aristophaneorum canticorum maxima pars est satiricorum, ut æquum in comœdia, nunc de rebus et moribus, nunc de quibusdam hominum generibus, nunc de hominibus nominatim. Sic canticum est de sycophantarum natione, quorum *in lingua venter est*, qui *lingua serunt, metunt, vindemiant* [4]; canticum de Oreste prædone, ἐν τῇ λύχνων ἐρημίᾳ hospites vestibus nudante, heroe cæterum, πλὴν τῆς

1. V. *Eccl.*, 951 sqq. — 2. V. *Lys.*, 781 sqq., 805 sqq.; ibid. 1042 sqq; 1188 sqq. — 3. Parrhasius in tabula, teste Plinio, pinxit Populum levem, promptum in amorem aut odium, eumdemque generosum laudisque cupidum. — 4. *Av.*, 1696.

ἑσπέρας; canticum de Socrate *illoto* qui, umbras, hiante fossa, evocans, hostiarum dat sanguinem Chœrephoni vespertilioni lambendum; canticum de Cleonymo, in arborem mutato unde clypei ut folia decidunt [1]; canticum, et illud quidem per stropham antistrophamque divisum, de Cleone [2].

Alia, quanquam satirica, lepore potius quam felle respersa. Multum facetiarum est in duplici cantico barbatarum feminarum, primum de matutino, pulverulento et acerba tuente Thesmoteta, trioboli distributore, tum de civibus antiqui moris qui in sacculo duo cepas habebant circaque coronas confabulabantur, dum diluceret in Pnyce [3]. Multum acuminis est in quatuor canticis quibus sibi invicem respondent Equites et Populus [4]; multum quoque, cum acumine, gravitatis in cantico illo ubi mordetur Socrates, Æschylus laudatur [5]; venustatis multum in illo ubi Bellum sibi deprecantur convivam, Pacem vero sibi sociam optant Acharnenses, lyra ibi satiram demum exuente atque amaritudinem purgante [6]. Cujus generis cantiunculas exquisitiore nullas urbanitate condit poeta, quam quas de se vel sua fabula vult fama per urbem celebrari; quumque in hoc Atheniensium populo, cantus litterarumque avido delicatoque judice, nullus versiculus esset, si rem litterariam attingeret, qui prætermitteretur, popularibus suis Aristophanes sufficit quos carpant quotidiano cantu, Morsimos, Carcinos, Cinesias, ipsum præbet quem laudent [7].

Cur cætera horum canticorum, in quæ nihil non cadit, genera enumerem? Subrustica alia sunt, et in raucum ἰοὺ ἰοὺ erumpentia; alia subobscena sunt, alia obscenissima [8]. Cantilena est agricolæ potoris ad focum; cantilena agricolæ vites recensentis [9]; cantilena senum olim bellatorum [10]; cantilena feminarum sese collaudantium :

1. Ib., 1482, 1553, 1470. — 2. *Eq.*, 973. — 3. *Eccl.*, 289. — 4. *Eq.*, 1111. — 5. *Ran.*, 1482. — 6. *Ach.*, 971. — 7. Cf. *Pax*, 765, de sc.; 775, de aliis. — *Vesp.*, 1051. — 8. *Nub.*, 1011. — 9. *Pax*, 1127, 1159. — 10. *Vesp.*, 1060.

ἔνι φύσις, ἔνι χάρις,
ἔνι θράσος, ἔνι δὲ τὸ σοφόν, ἔνι φιλόπολις
ἀρετὴ φρόνιμος[1].

Cantilenæ alitum sunt plures : alia divinitatis vindicatorum; alia segetis purgatorum[2] : de alitibus plures quoque; alia de omni aligera gente, alia de luscinia, alia de olore[3]. Unum enim est atque simplex canticum quodque et titulo singulari nominari potest, atque, ut cum fabula cohæret ubi nascitur quamque sustinet et decorat, sic facile potest ab ea decerpi, constans etiamtum, et populari famæ idoneum.

Has igitur cantilenas ad celebritatem compitorum destinatas, expeditas et leves vocabulis poeta facit, ut sponte pervolitent, brevius terminat ne memoriam exterreant, desinentes acuit ut malitiam irritent, postremo numeris concitat, de quibus pauca ut tentem dicere mihi nunc restat.

V.

Aristophaneorum carminum varietatem, in eaque cantilenas a cæteris carminibus dignoscendas, quantum commendaverit diversitas habilisque accommodatio metrorum et rhythmi facile conjectaveris. Metra omitto quæ ad lyram non pertinent : iambicum scilicet, quod in colloquiis usurpare solent personæ; trochaïcum, in quod incitatior sermo cadit ut celerius *currat;* anapesticum, quod vim apparatusque non nihil, nihil tamen ponderis habet, ita ut,si quod ingens spectaculum in *Equitum* fine exhibeatur, si Nubes, quæ Deæ sunt, Strepsiadem, si gravis Æschylus Euripidem, iambis novissime usum, alloquantur, vim anapesticam intendat poeta. Hæc igitur omitto metra quæ non canuntur, sed recitantur. Omitto quoque systemata lyrica de quibus ante dixi. Hic velim de metrorum singulorum, quæ lyræ propria sunt,

1. *Lys.*, 545. — 2. *Av.*, 723, 1058. — 3. Ib., 227, 209, 769.

delectu et collocatione dicere, quid ad gratiam carminis conferant, quid numerus, non musicus qui tibicinis est, sed metricus qui est poetæ, numerus, inquam, vel rhythmus, τὸ ἄῤῥεν, ut dictitabant, carminum. Quæ tamen pars propositi mei præclusa mihi est, cum fere nihil de metris, nihil de rhythmo, certe de lyrico, constet in recensionibus Aristophanis, nec aliunde mihi sit suscipienda hujus disputationis moles. Quid, quod multo longius patuit hæc de metrica quæstio, interveniente doctissimorum virorum novo dissidio, qui non separatis inter se versibus pluribus, sed una et longa *rhythmorum* continuatione constare voluerunt, non omnia quidam lyrica carmina (nam metrica manifesto sunt carmina Alcæi, quem Horatius aut versus non fecisse certo non ignorasset, aut non facientem imitari se, ipse faciens, professus non esset), at multa, ut Pindarica quæ supersunt, imo omnes e scenicis fabulis choricos cantus : *rhythmos* autem dicunt syllabas, non ad pedum mensuram et formam computatas, sed ad musicorum numerorum materiam scite electas atque dispositas. E versibus facta carmina nominant μέτρα, e rhythmis, μέλη. Μέλη dividit quidem poeta, dividit autem, per judicium aurium, non ad metricam normam, oratoris instar περιόδους ex intervallo secantis, in membra vel κῶλα : in metra posthac non nisi illi, quos urget Quintilianus, *molesti grammatici* ea diviserunt [1]. Et magnam vim argumentorum afferunt, sumptam e Cicerone (*Orator*, LV), e Quintiliano (IX, 4), e Dionysio Halicarnasseo (*De compositione verborum*, 19, 26), ex Aristotele (*Problem.* XIX, 31), e Demosthene aut quolibet alio Chæronensium militum laudatore, e variis denique grammaticis. Quanquam Cicero adeo non significare mihi videtur eorum « qui λυρικοὶ a Græcis nominantur » cantus a versibus differre, ut eos ibidem appel-

1. V. *Vincent* in opusculis recensitis apud *Essai sur l'Histoire de la critique chez les Grecs, par M. Egger*, p. 484; quibus adde *Havet*, in *Journal de l'Instruction publique*, 22 *juillet* 1848.

let versus, qui nisi versus fuerint, cur animadverteret pæne nudam ex eis, cantu remoto, remanere orationem, aut quomodo eisdem conferret « similia quædam apud Latinos ,» nempe e *Thyeste* versus? Neque Quintilianus negat metrica esse lyricorum carmina, sed molestum prorsus atque inutile esse dicit cogere e tanta varietate in suam quæque mensuram, videlicet quod vel demensorum numerus atque modus, Dionysii auribus vix, ut hic fatetur, judicatus, Latinis auribus non sonaret. Dionysius vero lyricorum dicit κῶλα, non quod ad numerum tantummodo musicum fuerint a poetis accommodata carmina, sed diversissimis metris, neque, ut in epico genere, paribus atque constantibus, ἐπὶ πολλῆς ἐξουσίας applicata : quod quidem variandi judicium, a « natura atque sensu, » ut dicit Cicero, profectum in principio, dein in rationem et artem redactum, mox usu frequenti promptissimum factum est et quasi libidini poetæ sponte obvium. Neque existimaverim Aristotelem aliud significavisse μέτροις quam epicos versus, aliud μέλεσι quam lyricos ; neque Demosthenem ἐμμέτρους alios quam epicorum, τῶν ᾀδομένων ποιητάς alios quam lyricorum carminum scriptores nominavisse. Addam vix credi posse, si Pindarica illa celebratissima, et chorica fabularum, et alia carmina, quorum tanta est copia, non metrica fuissent, duoque lyræ genera exstitissent inter se dissimillima, veteres, qui fuse et exquisite de litteris scripserunt, id vel imprudentes multis in locis, data toties occasione, non indicavisse, nedum unus aut alter solum pauca et incerta illius diversitatis indicia relinquerent [1].

Sed alia sunt, e rebus ipsis expressa, cur recenti dissidio dissentiam.

Patet primum in choris Aristophanis esse metra (quæ utrum sint in tragicis quoque, negante *Vincent*, non est meum), metra autem implexa multa, simplicia alia, ut in

1. V. cæterum *Rossignol*, opuscula citata apud *Egger*.

Equitibus, ubi adest monostrophicus chori cantus, constans ex una stropha quinquies repetita, glyconios versus tres continuos, pherecratio uno conclusos, præbente. (V. 973-996. Adde aliud metrorum systema, ibid. 1111-1140.) Sunt igitur in comœdia 1° metra recitata (iambi, anapæsti, etc.), 2° metra cantata, ut hæc in *Equitibus*, 3° cantata autem cætera, quæ metrane sint, an rhythmi, non convenit inter metricos, id est, *sui generis* quiddam, medium carmina inter et solutam orationem. Dicam autem poetam seu nullum habuisse hujus syllabarum vel rhythmorum delectus, collocationis implicationisque regimen, unde omnino et vere soluta ejus erit oratio, quod negatur utrinque ; seu non aliud habere potuisse, nisi aut metricam normam, quod illinc negatur, aut musicam, quod dispiciamus. Musicos modos seu ipse poeta invenit quibus aptet verba, quod non constat, opinor, fecisse Aristophanem; seu a musico accepit jam, quibus aptaret verba, indignante Platone carmina numeris, non carminibus numeros, a quibusdam tibicinibus accommodari; seu facta a se carmina dat musico accommodanda numeris ideoque ad hujus fere libitum, ut apud nos fit, poetæ dehinc invertenda : nam qui præmonitus rhythmos suos ad numeros musici disposuit poeta, aut, si rhythmi sint numeris quoquo modo sequendi et imitandi, quo ductus regimine eos illo modo, potius quam hoc, collocavit? An inest aliquid adeo musicum in syllabis, neque mensura pedum, neque cantu, neque organis adhibitis, ut nullo alio quam aurium judicio opus sit in collocandis verbis unde evadat vere carmen? Aure numeros orationis præsumunt, non carminum. Rhythmus ille nudus aure effluet lubricus, stylumque deficiet. Esto; quod solemus, solebant Græci. Apud nos fabulæ musica adornandæ scriptor non rhythmos componit, imo versus; nam in rhythmis (id est in syllabis computatis quidem, non autem consonantibus, qua desinentium consonantia vere absolvitur in nostris carminibus numerus constatque proprie versus) non inesset illa vis quæ sustinet et erigit

poetam exprimitque verborum lucem. Versus igitur a Græcis quoque lyricis compositos esse constet, et poetam juvantes nec vincientes musicum, quoniam, teste apud *Vincent* Longino, rhythmus musicus syllabas liberrime tractat longasque in breves vertit et ὡς βούλεται πλάττει τοὺς χρόνους, quoniamque, in illa græcæ musicæ, judice ibidem *Vincent*, simplicitate, musicus exsultare ultra metricas carminum datorum mensuras sane non meditabatur. Quam ipsam propter simplicitatem pæne nudam atque obsequentiam, nonne constare jam antea numerosum et definitum aliquid in metrica ratione poetis placuisse censendum est? Aut quæ alia fuit causa metra et versus inveniendi, nisi ut rhythmi quodque genus, ne posthac in eis eligendis vagarentur aut errarent, in formam stabilem quæque præsto esset redigeretur? Nam ὁ ῥυθμὸς πλάττει τὸ μέτρον (Suidas, apud Aristid. Quintilian.). Præterea credi potest ab illa Græcia, quæ quidquid omni e memoria inceperat dicere, versus erat, exutos fuisse in solemnibus choris versus, ne Simonidem quidem et Stesichorum scripsisse versus, et, cum, grassante fabula scenica, personæ omnes versibus decorarentur illaque augerentur dignitate, chorum, ante fabulam inventum, e dithyrambo sacro ortum, aut ad pæne solutam fluxisse, aut nihil aliud, quam solutam, unquam fuisse orationem?

Arbitror igitur rhythmorum laxitatem, neque satis utilem futuram fuisse ad regendum poetam, neque musico necessariam (quam si reposceret in μέλεσι, cur non in μέτροις quoque, quæ adesse in choris Aristophaneis constare dixi?); neque satis Græcæ poeseos dignitati dominationique consentaneam; fere contermina non fuisse chorica carmina, ut subjicere *Vincent* videtur, quibusdam apud nos *psalmis* appellatis; aliud illa fuisse quam carminum speciem aliquam, ubi verba, non ultra optionem nobis faciente *Vincent* (*Journ. de l'Instr. publiq.* 1849, p. 88), aut eodem, quo numeri, tempore componerentur, aut ad musicam, utpote magistram et dominam, accommodarentur, cujus operis totam ille ex ordine

rationem in deligendis, adhibendis applicandisque rhythmis, id est λήψει, χρήσει, μίξει, comperit digeritque eruditissime; porro quidquid choricum fuit, metricum fuisse; metra sane fuisse diversissima (unde dochmiacum illud mirum in modum mutabile) diversissimeque pro rerum et sententiarum opportunitate implicata, quam licentiam et epici, parce quidem, sibi vindicaverunt[1]; diversitatem illam adeo usitatam esse in versibus, ut poetæ, teste Dionysio, iambos et scribendo quam maxime variarent et recitando confringi vellent atque τῇ λαλίᾳ συνεγγίζειν, nedum ob hanc ipsam mixturam metrane sint chorica carmina liceat diffidere; ea proinde si, cantu remoto, soluta oratio esse videantur, hoc ex industria poetas cavisse; si expediti discinctique numeri, hoc arte consecutos esse; denique, reticente musica, numerosum permansisse aliquid, quod non implevisset rhythmus ille cereus et vagus, circumscribebat vero plenior strictiorque simul versus mensura; sic carminibus, post cantum et organa, in recitatione, post fabulæ actionem, domi, duravisse gratiam; sic vatis opus primas, ut decebat, partes retinuisse, nedum, recedente musici adjumento, multa ex parte resideret et resolveretur.

Nunc autem chorica Aristophanis carmina, sua quæque metrorum proprietate, suo nomine, indicare non hic meum est, sed alius, et immensum quidem, opus reposcit : quibus cæterum indicatis, qui melius numeros Græcorum carminum concipiemus, qui vix latinorum Horatii concipimus? Perpauca tamen de collocatione numerorum in Aristophanis choris utique adnotaturus mox, affirmari primum posse existimo nullam ei in hoc laudis genere diligentiam atque solertiam defuisse. Neque enim ipse Euripidis molliores et inconditos esse numeros deprehendisset aut tam vehementer questus esset, hunc hujusque versus omnibus modis versans atque discerpens;neque Atheniensium superbis fastidiosisque

1. V. Athenæum, XIV, loc. cit. a *Vincent*, sufficiente *Egger*.

auribus, qui Phrynichum tragicum ut optimum μελοποιὸν celebraverunt, Phrynichum autem comicum ut κακόμετρον[1] exagitaverunt, gratissimus fuisset neque tot præmiis auctus, nisi quidquid ad musicam metraque pertinet perfectissime exercuisset. Quæ ratio metra eligendi, collocandi, aptandi simul rebus personisque et sententiis, et cum cantu, organis et saltatione componendi, ne quid cui inserviret, nedum carmen, ut magnam necessitatem jucunditatemque, sic difficultatem sane habebat, nec in certis legibus modo posita erat, sed in subtili aliquo aurium judicio quod adhibebat poeta comicus condendis, spectantium turba examinandis carminibus, quodque cui deesset, eum advenam esse aut subodorabantur aut utique contendebant[2].

Nobis igitur sat erit animadvertere, cum non possimus plura, hæc metra, quæ nec distinguimus alia ab aliis nec nominamus, ita ab Aristophane delecta et collocata fuisse, ut numerorum summa sit, nunc ampla et gravis, cum Æschyli vim exprimat et luxum, nunc volubilis et quasi alata, advolantibus Nubibus aut Avibus : hic brevitas syllabarum, brevitas vocabulorum superat ; illic longa et roborea verba : si non hic est vere rhythmus, gratissima est numerorum cum sententiis concordia. Porro non eadem est verborum levitas et velocitas, quanquam in carminibus sese sublime efferentibus, cum Thesmophoria celebrantes aut invocant Deos aut choreas implicant ; neque idem numerorum tenor et fluxus, cum Aves alata canunt, aut præcipites circa Pisthetæri sponsam trepidant. Nihil hic interest qua lyrici poetæ metrica divisione usi fuerint, quæ est in ancipiti quæstio : nam sive separatum in versus, sive continuatum fuit carmen, non ideo aliter delecti sunt vocabulorum numeri aut aliter dispositi, sed eumdem sonum eumdemque locum retinent, et, mutata distribuendi in membra carminis ratione, permanet numerorum ratio.

1. Schol. ad *Ran.*, 13. — 2. Ibid., de eod.

Mirum Aristophanis in numerorum compositione artificium totum est in parodis et stasimis, quorum varietas ejus solertiam sollicitabat. Seniores judices lento gradu cautim procedentes iambos recitant ; mox in *leviores* cantus, ithyphallico metro (tribus trochæis) frequentius mixtos [1], erigunt vocem, Philocleonemque excitant; dein colloquentes concinentesque cum pueris, ad *tardiores* his iambos revertuntur. Equites cum vividiorum trochaïcorum recitatione Cleonem persequuntur ; sensimque calescente ira primum, mox rixa, in concitatissimam vim conviciorum simulque brevitatem numerorum erumpunt. In *Lysistrata* senes, frustra se hortantes invicem ad properandum, properant tarde per iambos, nec eos ita cito exuunt, ut ad sufflandum ignem tandem, prælio propiores, celerent. Feminæ autem quæ primo dilucidio in Pnycem eunt, neque senum tarditatem neque procurrentium celeritatem affectantes, per tardos, sed paucissimos, iambos cantum iterque inchoant; dein nec pondere moratos nec velocitate abreptos edunt cantus. Eædem, cum a Pnyce reduces, ni quis virorum eas insequatur, circumspiciunt, vide quam scite, eunte pede et converso capite, circumspectatrix vox inter alias emineat :

Ἔμβα, χώρει.
Ἆρ' ἐστι τῶν ἀνδρῶν τις ἡμῖν ὅστις ἐπακολουθεῖ;
Στρέφου, σκόπει.... [2].

Aliæ feminæ non circumspiciunt modo, sed disquirunt trepidæ lateatne vir : ideo properantiori eæ motu diutius circumeunt [3]. Vide etiam quam lepida varietate canenti choro paulo sedatior interveniat persona [4], imo, sedatior primum, brevi ipse incalescat relictosque a choro excipiat numeros [5].

Cujus diligentiæ exempla cæteris exquisitiora in quibusdam *Lysistratæ* locis esse mihi videntur. Lege oppositas, hanc

1. Schol. ad *Vesp.*, 248. — 2. *Eccl.*, 478. — 3. *Thesm.*, 603. — 4. *Ach.*, 285. V. Schol. — 5. *Pax*, 856, 909.

senum, illam mulierum, jocosas cantiunculas : earum etiamsi minutos versiculos negaveris a poeta quondam, ut nunc a Dindorfio, esse separatos, vocabulis eumdem locum, ubi facete positi sunt, tenentibus, eadem est eorum tenuitas, idem acumen, eadem quorumdam quasi specula, eadem verbi οὕτω lepida iteratio, teloque ibi vibrante, numerorum aliqua velut statio, ubi vocasset tibias concordes substitisse aliquantulum crediderim, ut exsilirent rursus et ad finem pergerent. Non secus, in eadem fabula, carminibus cantilenisque abundante, duæ narrationes sat diu per blanditias sinuosæ, quas per cantum devolvunt feminæ, bis, desinunt ex improviso in ludibrium adstantium senum, bis, ridentibus feminis, eos hiantes frustrantur [1]. Solerti igitur numerorum artificio magis quam illo *brekekekekoax*, aut *tiotiotix*, aut *phu phu*, facete tamen organa ad imitationem sollicitante, poetam credo adjuvisse et acuisse carmina, tanta gratia, tanta vis est in numeris, principio scilicet et fonte musicæ, cujus naturam Aristoteles dicit, magis quam sermonis, ad imitandum esse idoneam [2] !

CAPUT V.

Conclusio.

Aristophanes non solum ipse fuit optimorum carminum perfector, sed optimæ poeseos exemplis monstrator auctorque consiliis, nec minus, omni fabularum institutione et lyrico-

1. *Lys.*, 781, 805, 1043, 1188. — Cf. ibid. 285 sqq. — 2. Μᾶλλον τῷ μέλει ἀνάγκη μιμεῖσθαι ἢ τοῖς ῥήμασι. Problem., lib. XIX, cap. 15. (V. apud Egger.)

rum in eis potissimum carminum sensu, morum quos optimos judicabat suasor : qua in utraque ratione, una scribendi, altera vivendi, inter se conjunctissimis, quid perfectissimum judicaret dicendo fiet operæ conclusio.

Viguisse vidimus apud Aristophanem primoresque Græciæ lyricos vates carminum genus vividum et breve, gratia imprimis ornatissimum, non inflatum neque enixum in sublime, sed spiritu intus alente animosum. Quem ne deperderet in ambitiosam luxuriem poesis et effeta langueret, timuit noster, eamque dum puram et sinceram in versibus servaret suis, defendere voluit a temeritate Euripidis, Æschyli etiam, quem videlicet non sine levi morsu laudavit. Ut enim in moribus et civitate, sic in litteris et cognatissima litteris musica veterem animorum disciplinam tuetur. Nihil in fabulis fingit, nihil per coryphæos docet et disserit, nihil per choros canit, quod non præferat illud antiquæ institutionis studium, quæ una, ut existimat, bonos cives bonosque poetas informare potest. Prædicat priscos viros, *probatos*, *probe cusos*, virtutem sonantes,

εὐγενεῖς καὶ σώφρονας
Ἄνδρας ὄντας καὶ δικαίους καὶ καλούς τε κἀγαθούς,
Καὶ τραφέντας ἐν παλαίστραις καὶ χοροῖς καὶ μουσικῇ[1].

Adulterinos contra exagitat homines, *æreos*, *peregrinos*[2], recentes, novitatis, id est corruptelæ, auctores, poesim simul et saltationem et vocum organorumque sonos, μουσικὴν totam pervertentes. Ex uno corruptelæ fonte omnia simul defluunt; omnia simul perdit qui nova tentat et a prisca deflectit disciplina : qui poesim corrumpit, corrumpit et musicam ; qui musicam, saltationem quoque ; qui saltationem, et musicam et poesim ; qui harum quamlibet, mores ; qui mores, unam quamque harum omnesque una corrumpit. Eodem igitur urget flagello Euripidem, qui idem carmina hebetat, numeros carminum frangit, canentes jubet volutare vocem[3], mores

1. *Ran.*, 727. — 2. Ib , et *Ach.*, 517. — 3. *Ran.*, 1314. — V. de corrupto cantu vocum et organorum fragmentum Pherecratis in *Chirone*.

emollit, vitia docet; Cinesiam, qui dithyrambos in nubila resolvit idem et motus saltantium celerat; Diagoram Melium, Deorum derisorem aut etiam eversorem; Morsimum, ἄμετρον poetam[1]; Carcinum, cum quatuor filiis, impurum saltatorem; horum unum Xenoclem, machinarum inventorem; Eupolidem, sollicitantem adolescentes in palæstris, lenocinantem plebi in theatro[2]; Socratem, docentem discipulos, abjecta arte musica, garrire[3]; omnes cum Cleone, Hyperbolo, Neoclide, cæterisque plebicolis, civitatis pestibus, quasi conjuratos.

Ipse contra advenit, boni verique index atque auctor,

τὸ γὰρ δίκαιον οἶδε καὶ ἡ τρυγῳδία[4],

morum satelles, Musarum propugnator, corrector omnium, ἀλεξίκακος, Athenarum καθαρτὴς[5], non fallens cives, non mulcens, sed docens quomodo beati futuri sint, docens ὡς δημοκρατοῦνται[6]. Robusta in malos potentesque cives præ se fert odia et Ἡρακλέους ὀργήν τινα[7]; erectos autem impetit, non jacentes calcat; nec blanditur plebi obscena ostentatione, nec inducit senes baculo verberantes, temulentas anus, servos cordacem saltantes rixantesque, Hercules famelicos et fugitivos : postremo de se prædicans quæ de Æschylo Pherecrates dixerat,

Ἐποίησε τέχνην μεγάλην.... κἀπύργωσ' οἰκοδομήσας
Ἔπεσιν μεγάλοις καὶ διανοίαις καὶ σκώμμασιν οὐκ ἀγοραίοις[8].

Hanc sui ab ipso Aristophane factam jactationem, quam ab invidia arrogantiæ faceta quadam intemperantia vindicat[9], ne altius scruteris, neve dispicias utrum melius et honestius Euripidis matrem, quam Eupolis Hyperboli, deluserit in scena, quanquam illo, λοιδόρῳ καὶ σκαιῷ[10], argutior, si licet credere, convitiator, aut obscenitate abstinuerit, qui Irin ipsam

1. *Pax*, 803, schol. — 2. V. *Nub.*, *Pac.*, parabas. — 3. *Ran.*, 1481. — 4. *Ach.*, 500. — 5. *Vesp.*, 1043. — 6. *Ach.*, parabas. — 7. *Pax*, 752. — 8. Ib., 749. — 9. *Ach.*, 643 sqq. — 10. Proleg. *de Com.*

præsentem in scena conspurcet[1], aut pugnis, aut frigidis servorum *megaricis*que, ut dicebant, jocis, aut omni seu verborum seu rerum inverecundia. Constat certe eum neque moribus neque carminibus in pejus ruentibus indulsisse; illos contra reprehensione, hæc exemplis corrigere voluit,

Παῦρ' ἀνιάσας, πόλλ' εὐφράνας, πάντα παρασχὼν τὰ δέοντα[1].

Jam vero quam vitæ disciplinam lyra, quoniam, cum litterarum, tum vitæ magistra fuit, docebat? Apud Græcos versari in luce fori, palam et fortiter agendo famam quærere et consequi, virtutem in bona existimatione ponere, nam *contemptu famæ comtemni virtutes*, bonam existimationem in civili vita, summa vitæ virtutisque erat. Qui civis bonus erat, vir probus audiebat; illam famam hæc sequebatur, et, qui famam, hic *virtutem extendere factis* dicebatur. Si quis autem obscurus domi latet, umbratilis boni domesticæque fidei cultor, perpetuæ operæ inglorius opifex, constans miseri, ægri, solator auxiliatorque, hic nullo in numero est; non agilis, sed deses, non vir, sed femina. Non vis est in eo, ideo non virtus. Virtus virorum est, mulierum castitas. Multiplex apud nos, veteribus vero ignotum, genus est quoddam quod dicimus virtutis, imo fortitudinis, quod quidem secreti, taciti etiam exercemus, nedum ostentemus, quod qui litteris explicant, narrant, omni carmine celebrant, necesse est in intima nostra pectora descendentes ex interiore homine eruere. Ne dicas istic tibi intentione animi, pectoris firmitate, mentis constantia opus esse : istam tuam fortitudinem ne patientiam quidem appellent veteres, nam pati laus est, si fortia patiaris, quæ istic non sentiunt, si patiendo etiam facias, quod istic non vident : proinde te contemnent inertem. Pindarus lyra in sublime tollit viros fortia passos, fortia ausos in sole et pulvere; hortaturus ad fortia, lyram eis

1. *Av.*, 1253 sqq.

suam pollicetur et ostentat. Agat homo ut famam et, famæ vel fontem vel fructum, epinicion consequatur, σιγαλὸν ἀμαχανίαν ἔργῳ φυγών[1]; agat autem operosum et durum laborem, τό γ' ἐν ξυνῷ πεπoναμένον εὗ[2]: sic uno conjuncta vinculo, robur, labor, fama, uno etiam nomine virtutis conjunguntur.

Hoc docuit Homerus, hoc Hesiodus, hoc Pindarus, hoc Æschylus, hoc etiam Socrates, qui, cum in seipsum descendere hominem juberet, ut e se sapientiam erueret, erui voluit virtutem civilis vitæ, ad quam potissimum colendam constituta erat tunc, natura, moribus, legibus, religione, regionis et cœli tempestate, humanitas. Ad hoc idem omnia Aristophanis carmina referuntur. Publica potius vitia notat quam privata scrutatur: nam, quam horremus morum fœditatem, ab eo sæpe lacessitam, ea Athenis non latebat, sed infamia monstrabatur. Occulta vero et tacita flagitia prætermittit; sycophantam aut fugitivum ducem arripit: tum vero ille non immeritus

....tota cantabitur urbe;

sed qui domi durus, ferreus, mendax, infidus, se suaque unice amans, virtutis simulator, et cætera improbus est, hunc sinit Aristophanes omnes fallere. Virtutes vero quas, nisi publicas, prædicat? Sua ætati cuique est virtus. Juvenis eat per vias cum sociis, citharœdo duce, nudus; nudus saltet in Panathenæis; nudus in academiam descendat, sub sacris oleis decurrat, albo calamo redimitus, redolens smilacem et populum,

ἦρος ἐν ὥρᾳ χαίρων, ὁπόταν πλάτανος πτελέᾳ ψιθυρίζῃ[3].

Vir militet, equitet, naviget, aret, ducat remis ampullas, aratro callos; feriat miles hostes gladio, orator inimicos lingua, judex improbos sententia; fortiter malos aculeo vulneret, bonos carminibus extollat, ἄλκιμος μὲν ἐν χοροῖς, ἄλκιμος δ' ἐν

1. Pind. Pyth., IV, 92 (ed. Bergk.) — 2. Ib., 93. — 3. V. *Nub.*, 964 sqq.

μάχαις[1]. Senex vero cantu bene gesta memoret, robustam suam juventutem celebret, et canat fateri barbaros

> Μηδὲν Ἀττικοῦ καλεῖσθαι σφηκὸς ἀνδρικώτερον.
> Ἆρα δεινὸς ἦ τόθ' ὥστε πάντα μὴ δεδοικέναι. . . .
> Οὐ γὰρ ἦν ἡμῖν ὅπως
> ῥῆσιν εὖ λέξειν ἐμέλλομεν τότ', οὐδὲ
> συκοφαντήσειν τινὰ
> φροντὶς, ἀλλ' ὅστις ἐρέτης ἔσοιτ' ἄριστος[2].

Cum, qui est optimus remex, sit optimus civis, pessimus ille est, qui artem præ se fert iners, vanus et mendax. Nullos itaque acrius urget Aristophanes quam loquaces et ineptos suggesti tritores, Pnycis pestes, avidos sacrificos, inanes divinos, mendicos poetas[3].

Sic Aristophanes lacertosam quamdam virtutem præcipit. Ne enim nos decipiat illa ejus comœdiarum petulantia protervarum atque discinctarum. Subest huic impudicitiæ quiddam, detersa spurcitia, forte et robustum, antiquitatem redolens. Non is est Aristophanes qui,

> Introrsum turpis, speciosus pelle decora,

præferat munditiam, sordes vitiorum recondat; neque rursus castæ, quam effingit esse philosophiam Cicero, et verecundæ virgini similis est, sed juveni illi quem hortatur nudus in gymnasiis et in pompis mascula canat. Lascivit in jocos, mulieribus quidem, si adfuissent[4], erubescendos, sed succum carminibus instillat quem imbibant Marathonium; nullum cum vitiis paciscitur fœdus, sed audacter monstrat, acriter insectatur etiam in fictis rebus, ut qui Euripidis fabulas, cum dolis, argutiis, lacrymis plenæ sint, esse elumbes et vitiis lenocinari arguat. Si crassioribus jocis indulserit vimque dissipaverit per iambos, resurgit per chorum, quem

1. V. *Vesp.*, 1060 sqq. — 2. Ibid., 1090 sqq. — 3. V. imprimis *Aves*. — 4. Vide quibus argumentis *Egger* (*Histoire de la critique chez les Grecs. Note C*) convincat non nisi in primo ante J.-C. sæculo mulieres scenicis fabulis adfuisse.

acribus priscæ virtutis sonis *suadæque medullis* implet, sese totum effert,

> . . . . . . sparsosque recolligit ignes,

et

> Versus propinat flammeos medullitus,

Jam enim vates non verba verbis serit, syllabarum compositor, exactor numerorum : utilis gladio, utilis stylo, virtutem exemplis carminibusque monstrat, patriam cantu juvat et consilio. Illum reducit ex inferis Bacchus, illum requirunt absentem superi, qui meliora civibus suadet ; illum beatum canunt :

> Μάκαριός γ' ἀνὴρ ἔχων
> ξύνεσιν ἠκριβωμένην [1].

Sic sapientiam cives docet Æschylus, docet et Aristophanes :

> . . . . Τοῖς μὲν γὰρ παιδαρίοισιν
> ἔστι διδάσκαλος ὅστις φράζει, τοῖς ἡϐῶσιν δὲ ποιηταί [2].

Qua autem noster suavitate lyræ doceat, et vidimus, et Plato immortali laude declaravit, fraterna sibi nimirum scribendi gratia delectatus, affini etiam sibi, si dicere licet, sapientia conciliatus. Apud Platonem philosophia, ut chorus apud vates, jucunditate orationis homines allicit ut præceptis imbuat, et voluptate aurium, ἡδυλόγος σοφία [3], præoccupat animos. Apem se esse dixit Pindarus : apem dici neque Aristophanem neque Platonem pigebit ; neutrum hujus societatis, quum Pindarum et Plato toties nec nunquam Aristophanes scribendo fuerint imitati, pœnitebit. Quam enim facultatem in suis Aristoteles non coluit scriptis, quam in exactissima sua et sagacissima scenicæ rationis explicatione, quanquam poetis amicissimam neque inutilem, omisit, qua scilicet ductus aut abreptus plurima audeas et inaudita fingas, cogitando devertaris, propior tamen sapientiæ quam insaniæ, somnies,

1. *Ran.*, 1482. Vide sqq. — 2. Hæc dicit Æschylus in *Ranis*, 1055. — 3. Cratinus, Χείρωνες.

illa φαντασία [1] Aristophani est inter comicos poetas, Platoni inter philosophos peculiaris. Uterque cogitatione et oratione in sublimia, inania etiam, avolat et discurrit, uterque nos ultro et cupide sequacissimos ducit : hinc unus evasit suavissimus omnis ætatis scriptor, alter etiam nunc florentissimus.

Una igitur delibant elocutionis florem; delibant una etiam sapientiæ succum : neque enim Sophronem modo fertur legisse diligenter Plato, ut ex ejus imitatione exprimeret quomodo loquerentur, quos in dialogos induceret, sed ex Epicharmo expressisse multa quæ sentiant et loquantur; neque Aristophanem sane sordidum veri justique auctorem existimavit. Ut enim philosophia omnis doctrinæ et sapientiæ magistra est, ita chorus disciplinæ et morum est magister, primus, ducibus Musis, Apolline et Baccho, institutor juventutis, quam cantu et saltatione ad pulchri decorique amorem informat, et civitatis, quam carminibus pulchra et decora monet, præceptor [2]. Eum itaque in perfectam quam fingit Plato civitatem, aut separatum, aut cum fabula scenica conjunctum, admittit canentem, saltantem, pulchra et honesta docentem. Ex illa autem Aristophanei chori tripartita varietate primam et secundam partem abolevit tempus, tertiam autem et optimam, carmina, non equidem vivendi nunc, sed scribendi æterna et singularia exempla, nobis reliquit, reliquit alatam illam, aculeatam atque ardentem orationem, succo plenam, *Musarum melle tinctam*, nulli unquam latinorum, a XII tabularum lectione in scholis suis et forensis actus contentione recentium, imitabilem, *aculeos cum delectatione* etiam relinquentem in animis [3], stimulis suis Atheniensium vivida et arguta ingenia exacuentem, blanditia quotidiana reparantem : Καλή γε ἡ καταγωγή · ἥ τε γὰρ πλάτανος αὕτη μάλ' ἀμφιλαφής τε καὶ ὑψηλή.... Καὶ ὡς ἀχμὴν ἔχει τῆς ἄνθης!... Τὸ εὔπνουν τοῦ

1. V. Egger, *loc. cit.*, p. 175. — W. Schlegel, *Cours de litt. dramat.*, 6e leçon.—2. V. Plato, de leg., II; Aristoph. *Ran.*, 686 et alia. — Galenus scripsit de utilitate quam e prisca comœdia vir eruditus percipere potest. —3. Quod de Pericle Eupolidem dixisse refert Cicero (Brutus, IX.)

PARIS. — IMPRIMERIE DE CH. LAHURE ET Cie
Rues de Fleurus, 9, et de l'Ouest, 21.